

05

A

403



כִּי הוּא
MERITUM B. O. NON-MERENS,

h. e.
DIASCEPSIS THEOLOGICA,
De

MERITO B. O. A
PONTIFICIIS JACTATO,

QUAM

Divino Numine clementer annuente, indultu,
Gratiosissima Facultatis Theologica,

In

Illustri ad Albim Academia,
SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Summè Reverendi, Magnifici, Amplissimi,
Excellentissimique*

DN. JOH. DEUTSCHMANNI,
Doctoris & Professoris Theologi, quaque

versum celebratissimi, Alumnorum Electoratum

Ephori Gravissimi,

Dn. Præceptoris, Patroni ac Mæcenatis sui

omni observantia cultu devenerandi,

Ad diem II. Januar. A. O. R. MDCLXXXVI. defendendam sistet

AUTOR - RESPONDENS

THOMAS REINESIUS, Magd. Saxo.

WITTEBERGÆ, Literis SCHULTZIANIS,



05 A 403



PRÆLOQUIUM.

Quantum Grex Pontificia, Christi Dei & Hominis Filii Glo-
ria detrahat, inter alia quamplurima, documento esse pot-
est presentis nostræ Dissertationis argumentum, quo, falso
à Pontificiis jactatum Bonorum Operum meritum, firmis ra-
tionibus, è verbo Dei desumptis, omnibus viribus impugnare, in
animum induximus. Hæc enim in materiâ Pontificii in meri-
tum Christi valde sunt injurii. Constat enim, quod Christus
obedientia sua, tam activa, quæ in legis à nobis transgressæ im-
pletionem, tum passiva, quæ in acerbissima morte ac passione con-
sistit, teste Scriptura, pro nobis exactissime satisfecerit, suaque
justitia vera fide apprehensa nos coram tribunali divino, justos
officiat, ita ut peccata nostra contra legem Divinam commissa,
si ad thronum gratiæ confugiamus, Christique meritum & justi-
tiam, verâ fide, cujus objectum est justitia Christi, apprehenda-
mus, nobisq; applicemus, nobis non imputentur ad mortem, sed
nos, ob justitiam Christi imputatam, coram Deo justî pronuncie-
mur, & vitam demum æternam, Christi merito nobis partam, ut
hereditatem, sine ullo nostro merito, consequamur. Sed quid ad
hoc barda Pontificiorum Grex? maximam sane injuriam nostræ
infert Salvatori, dum miseræ animas ob peccata perterritas,
adque iram Dei expavescentes, à vivo Israelis fonte Christo Je-
su, ejusq; merito ad propriorum meritorum lacunas abducit, e-
asque fiduciam, non in Christi meritum, sed propria Bonorum O-
perum merita collocare, sibiq; quod meritis suis, non tantum ju-
stitiam coram Deo valentem, verum ipsam etiam vitam æter-
nam verè promereantur, firmiter persuasum habere jubet. Quid
autem hoc ipso aliud facit, quam quod Christi meritum evacua-
at, illud insufficientia arguit, majoremq; vim propriis meritis,
quam Christi merito adscribit, & hoc ipso se cum sibi concreditis
ovibus à gratia Dei, ipsaq; adeo vita æterna excludit.

A 2

itaq;

itaq; Pontificiorum sententiam sub disquisitionis incudem revo-
care, & juxta Divinae veritatis amussim examinare, in præsenti
est animo. Tota autem tractatio tria complectetur capita, quo-
rum I. generalem de merito Bonorum Operum tractationem
comprehendet; II. de merito B. O. in Articulis de Justificatione
III. de merito B. O. circa ipsam vitam eternam ager, nullitatemq;
ejus declarabit. Faxit summus rerum Arbiter, ut solum ea,
quæ vera sunt, constanter ac pie asseramus, falsa verò audacter
refellamus. Quod ut à Patre luminis obtineamus, clamamus:
Sanctissime Pater, sanctifica nos in veritate; Verbum enim tuum
veritas est. Fiat! Amen.

CAPUT PRIMUM.

De Falsò à Pontificiis jactato B. O.
Merito in genere.

SECTIO I.

continens

*Terminorum occurrentium enodationem, statusq; Contro-
versie formationem.*

§. I.

BENè ait Aristoteles: πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν, δεῖ πρῶτως ἐξετάζειν τὰ
ὀνόματα. Ad bene docendum excutere oportet prius nomina. Hoc
sicuti in omni materia ita cum primis in præsenti quæstione de B. O.
merito probe est observandum, utpote cujus omnes termini æquivo-
cationibus laborant, in quibus adversarii morbidae suæ causæ quæ-
runt patrocinium. Operam itaq; nostram non inutiliter nos collocaturos
esse confidimus, si antequam Statum Controversiæ inter nos & Ponti-
ficios formemus, terminos debita inquisitione diligenter excutiamus,
& qui significatus hæc in quæstione obtineat, breviter ostendamus.

§. 2. Subjectum igitur quæstionis nostræ sunt bona opera, quæ ita
dicuntur à bene operando, & sunt duplicis generis, vel civiliter bona,
vel verè & Ecclesiasticè bona: illa opera dicuntur bona, saltem ratio-
ne quidditatis suæ internæ, quæ congruentiam quandam dicunt cum
ege naturæ, omnibus hominibus natura ipsa scripta. Hæc v. bona sunt
& di-

& dicuntur, quia non tantum congruentiam habent cum lege divina, sed etiam bene fiunt, h. e. sine legitimo, ad Dei nempe gloriam, cui etiam ob fidei præsentiam specialiter placent. Magnum autem inter opera civiliter & inter opera spiritualiter bona interest discrimen, quod se per omnia ferme causarum genera diffundit. Differunt (α) causa efficiens; illorum nempe B. O. moraliter vel civiliter talium causa efficiens est intellectus recte iudicans secundum legem naturæ, & voluntas obtemperans, concurrente non nisi generali Dei motione. At bonorum operum spiritualiter & Theologice talium causa efficiens est, specialis Spiritus S. operatio, qui mentem, naturâ tenebris errorum obfuscatam illuminat, voluntatemq; spiritualiter renovat. Differunt (β) subjecto. B. O. moraliter vel civiliter talia sunt. & in homine infideli & non renato. B. O. autem Theologicè & spiritualiter talia non nisi ab homine fideli & renato perpetrantur. Differunt (γ) forma; illorum forma consistit in convenientia cum recta ratione, seu lumine naturæ; Horum v. forma est fides, ut non informans, sed saltem assistens, ut mox audiemus. Differunt (δ) fine. Illa ab Ethnicis perpetrantur, non ad Dei, sed propriam gloriam. Hæc verò ab hominibus Christianis unicè ad Dei gloriam amplificandam suscipiuntur. Conf. B. D. Balth. Meisner. P. 1. Phil. Sobr. Sect. 2. cap. 2. q. 3. p. m. edit. in octav. 312. seq. Huc etiam respexit D. Augustinus, quando opera irrogenitorum, in se & sua natura bona; potius peccata, quam bona opera appellanda esse duxit. Nam, quoniam irrogenitorum opera, secundum aliquam legis partem facta, ab ejusmodi perpetrantur personis, quarum voluntas natura inimica est adversus Deum, nec ipsi per fidem reconciliata; Hinc fit, ut, cum personæ Deo non placeant, sed displiceant, nec opera eorum Deo placere possint, cum Deus ea potius aversetur. Deinde bona opera gentilium non proficiuntur ex fide. Absq; fide autem, quod est, peccatum est, nec Deo verè placere potest, Heb. XI. 6. Tertio etiam actiones Ethnicorū virtuosæ non fiunt sine legitimo; non ad Dei, sed propriam gloriam; è fine autem æstimantur actiones, & tum demum opera aliqua verè fiunt bona, si etiam beneficiant, quod fit, quando B. O. ad legitimum finem, Dei nempe gloriam diriguntur, quod cum ab Ethnicis non fiat, recte eorum opera peccata dicuntur.

§. 3. Opera spiritualiter & Ecclesiastice bona h. l. non sumimus;

strictè, sed late, ut non solum externas inq; oculos incurrentes actio-
nes, sed & internos affectus cordis, & motus voluntatis, adeoq; totam
renatorum novam obedientiam, justitiamq; tam habitualem, quam
actuaalem, suo comprehendant ambitu. Per hanc B. O. adpellationem
in S. Scripturis sæpissime indicatur interior hominis Renovatio, &
quidem *συνεκδοχικῶς*, ubi effectus pro causa ponitur. Placuit autem
Spiritu S. B. O. appellatione renovationem describere: (α) ob nostram
cognitionem, quia opera externa notiora sunt internis animi quali-
tatibus, & cordis affectibus. (β) ob virtutis conditionem: omnis enim
laus virtutis in praxi consistit, ideo renovamur per Spiritum S. inte-
rius, ut appareant fructus Spiritus exterius. (γ) ob hypocriseos falla-
cis exclusionem. Hanc enim ratione excluditur fallax hypocrisis, quæ
est simulata species internæ pietatis, quæ nulla est, nisi in operibus et-
iam externis demonstratur. Vid. Gerh. Aphor. Theol. L. de B. O. Aph. 8.
Sunt autem opera spiritualiter bona, hominum Renatorum à DEO
mandatæ actiones, ex fide in Christum, juxta normam divinæ legis,
Spiritus S. ductu factæ, ad Dei gloriam, & hominum ædificationem.

§. 4. Notanter dictum est, quod opera verè & spiritualiter bona fi-
ant ductu Sp. S. non enim proficiscuntur è propriis viribus, sed è viri-
bus à Spiritu S. concessis, qui ipse est causa efficiens B. O. dummodo
non tantum ea in verbo suo monstrat, præscribit & exigit, verum et-
iam interius hominem regenerat, mentemq; ejus illuminat, & volun-
tatem, quæ natura malum appetit, flectit ad bonum. Ipse enim est, qui
in nobis operatur *τὸ θέλει καὶ τὸ ἐνέργειν*, & velle & perficere. Subje-
ctum, s. illi, à quibus bona opera spiritualiter talia perpetrantur, sunt
soli Renati, illuminatum intellectum per verbum habentes, & coram
Deo justificati. De irrogenitorum enim operibus jam supra diximus,
quod ea ob fidei absentiam, ex mente Augustini, potius peccata ap-
pellanda sint.

§. 5. Forma B. O. spiritualiter talium est pro diversa eorundem con-
sideratione duplex 1. legalis 2. Evangelica. Quando B. O. absolute si-
ve legaliter considerantur, tunc forma eorundem est conformitas
cum lege Dei, quæ norma est, juxta quam B. O. æstimantur, & judican-
tur esse bona, quod constat (1) è legis divinæ proprietate. Lex enim
est doctrina, continens regulam & normam eorum operum & facto-
rum, quæ Deus à nobis fieri aut non fieri voluit. (2.) è Dei præcipi-
entis

entis autoritate; Deus enim expresse nos ablegat ad legem, ut secundum, eam opera nostra æstimemus Es. v. 20. & præcipit audire Moysen & Prophetas Luc. 16. v. 30. (2) è rationis humanæ cœcitate. Illa enim naturâ a deo tenebris est obscurata, ut animalis homo non percipiat, quæ sunt Spiritus Dei, stultitia sunt ei, & non potest intelligere, teste Apostolo 1. Cor. 2. v. 14. Cum igitur ratio nostra & voluntas Deo plane sit inimica, sponte sua sequitur, illam nullum opus spiritualiter bonum posse ex se judicare, eiq; normâ præscribere, sed alia indigere norma, quæ quid faciendû, quidve fugiendû sit, ostendat ac declaret. Forma Evangelica est fides, non tamen intrinseca & constituens, sed saltem extrinseca & assistens, utpote quæ operib9 nostris adhærentes imperfectiones tegit, plenariam legis impletionem à Christo factam nobis applicat, & hoc ipso facit, ut opera nostra Deo specialiter placeant. Concurrit autem fides ad bona opera (α) ratione notitiæ, quam haurit ex verbo Dei. (β) ratione fiducia, dum firmiter statuit homo, renatus propter Christû apprehensum, & se, & opera sua Deo placere. (γ) efficienter; Nam in Christo Jesu neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur. Gal. 5. v. 6. (δ) formaliter, quia à fide, bona opera, & rem, & appellatione bonitatis sortiuntur Heb. 11. v. 6. Rom. 14. v. 23. 1. Petr. 2. v. 5. Quapropter, sicuti fides sine bonis operibus mortua est, ita etiam non solum ex vera fide bona opera proficiuntur, sed etiam nulla sunt verè bona opera, nisi ex fide proficiantur.

§. 6. Quando inter nos & Pontificios quæritur: num B. O. sint meritoria? tunc quæstio non est de operibus civiliter & moraliter bonis, qualia sunt irrogenitorum, & extra Ecclesiæ pomeria viventium. His enim nihil quicquam homines posse promereri ipsi Pontificii (utinam serio) fatentur. Quæritur igitur inter nos & Pontificios de B. O. spiritualiter & Ecclesiastice talibus. Et tantum de subjecto quæstionis.

§. 7. Prædicatum, sive id, quod de B. O. spiritualiter talibus quæritur, est: num vim aliquam merendi obtineant, & an sint meritoria. Sumitur autem merendi vocabulum dupliciter: 1. strictè, & tunc semper notat, pretium debitum ex condigno acquirere, sicuti illi, qui ad certos labores, certa mercede conducuntur, verè & proprie mercedem promeruisse dicuntur. 2. Vocabulum merendi sumitur nonnunquam in sensu latiori, & tunc mereri idem est, ac aliquid gratis, & ex liberalitate.

litate conferentis consequi, & hoc sensu accipitur Jos. ii. v. 20. ubi dicitur: Domini sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, & caderent, & non mererentur (h. e. gratis consequerentur) ullam clementiam. Multa alia hujus acceptionis exempla congescit B. Meisn. P. II. Phil. Sobr. Sect. i. c. i. q. 33. p. m. 369. seq. Pari ratione etiam meriti vocabulum dupliciter accipitur: (α) strictè, pro laboribus aut officiis ex condigno aliquid merentibus; (β) late, pro aliquo beneficio & dono, quod gratis consequimur. Meritum generaliter à Gregorio de Valentia sic definitur: Meritum est opus liberum, bonum, ad alterum aliqua ratione spectans, quod proinde secundum aliquem modum æqualitatis, sive justitiæ, aliquo munere, ab aliquo compensari debet.

§. 8. Meriti propriè & strictè sumpti à Philosophis & Theologis quinque vulgo recensentur conditiones s. requisita (α) ut non sit debitum. Si enim jam tum debitum est, non potest alterum ad compensationem per solutionem ejus, quod alteri debebatur, adstringere, ita ut alter ad compensationem teneatur. (β) ut sit tantum nostrum, Aliorum enim meritis nihil mereri possumus (γ) ut sit è nostrò h. e. ex nostris viribus. (δ) ut sit mercede dignum. (ε) ut sit proportionatum sive habeat æqualitatem ad præmiũ, quod pro opere redditur. Hisce addit Ravanellus P. II. Biblioth. S. p. m. 60. (ζ) ut sit opus, quo indigeat is, apud quem mereri volumus, & ex quo utilitas ei accedat. Apud eum enim, qui opere nostro non indiget, nullamq; ex eo capit utilitatem, nil quicquam promereri possumus; Si enim ille nobis præmium aliquod confert, illud nobis nõ ex merito operis, sed ex gratia cõferentis obtingit.

§. 9. Statuitur quoq; meritum apud Pontificios duplex, congrui, ut vocant, & condigni. Meritum congrui definit Becanus Tr. IV. Theol. Scholast. quod sit tale meritum, quod quidem ex justitia non mereatur compensationem, ex vi sua, sed tamen ex quadam congruentia, s. honestate; Alii dicunt ex liberalitate & gratia alterius. Meritum condigni Pontificiis est actus à voluntate elicitus, ad præmium alicui secundum debitum justitiæ retribuendum, sive, ut clarius dicam: Meritum condigni est, cui ex condigno sive justitia debetur præmium seu merces. Quæ meriti distinctio, Scholasticis, otiosis hominibus, natales suos debet;

§. 10. Terminis sic ritè explicatis proximum nunc est, ut dicamus, quid-

quidnam inter nos & Pontificins in Controversiam veniat, quid non? I. igitur non quæritur: an bona opera sint facienda ab homine per Spiritum Sanctum renato? hoc enim utrinque est in concessis. Nam & nos juxta Form. Concord. magnò Zelò damnamus in nostris Ecclesiis impium illud & perniciosum Nicolai Ambsdorffii dogma, nude scil. & crude propositum & intellectum, qui hunc pestilentissimum errorem superiori Seculo sparsit: B. O. ad salutem esse perniciofa. Damnamus & illos, qui libera bona opera esse censent, & contra, B. O. necessitatem urgemus, eaque facienda necessariò esse docemus, tum Dei, tum proximi, tum nostrummet ipsorum causa. Dei quidem causa facienda sunt B. O. (1.) ad obedientiæ demonstrationem (2.) ad gloriæ ejusdem illustrationem Matth. 5. (3.) ad gratitudinis Deo debitæ declarationem, quod exigit Apostolus Rom. 1. v. 12. Proximi causa B. O. sunt facienda (α) ut is nostris officiis sublevetur, Luc. 6. (β) ne offendiculum ipsi præbeamus, 2. Cor. 6. (γ) ut eum exemplo nostro ædificemus & ad similia peragenda instigemus. Nostræ causa sunt facienda (a) ad fidei nostræ declarationem, Matth. 7. Jacob. 2. (b) ad pœnarum temporalium & æternarum malis operibus constitutarum evitacionem Matth. 3. Rom. 8 (c) ad remissionis peccatorum certificationem, 2. Pet. 1. (d) ob renovationis conditionem. Sunt enim renati in Christo, ergò debent esse nova creatura, 2. Cor. 5. Rom. 9.

§. II. Neque II. quæritur de eò: An operibus Renatorum bonis è fide profectis Deus proposuerit præmia in hac & futura vita. De hoc enim non finit nos dubitare Apostolus 1. Tim. 4. inqviens: ἡ εὐσεβεία πρὸς πάντας ὠφελιμὸς ἐστὶν ἐπαγγελίαν ἔχουσα ζωῆς τῆς νυν, καὶ τῆς μελλούσης, h. e. Piatas ad omnia utilis est, & habet promissionem hujus & futuræ vitæ.

§. 12. Neque III. principaliter quæritur de merito congrui s. de congruo, ut vocant Pontificii, sed quæstio est de merito condigni, de quo adhuc lis est inter Pontificios: Num scil. B. O. sint remissionis peccatorum &c. meritoria ex condigno solum ratione pacti & acceptationis divinæ, an verò ratione operis, an denique ratione utriusque & pacti & operis. Tertia communior est inter Papistas sententia & Bellarmino teste l. 5. de Justif. c. 17. ipsius Concilii Tridentini.

§. 13. Totus itaque Controversiæ status inter nos & Pontificios

B

ut

utt compendio dicam, huc redit; Num scil. bona Renatorum Opera, quæ virtute Spirit. S. perficiuntur meriti proprie & strictè sic dicti rationem habeant, sive: an bona Renatorum opera, remissionem peccatorum ipsamque vitam æternam mereantur è condigno, ita ut Deus propter hæc opera ipsis remissionem peccatorum, ipsamque vitam æternam dare teneatur? ubi Pontificii affirmativam defendere sustinent; nos v. Negativam.

SECTIO II,

De

Vera sententia cum probationibus.

§. I.

NOstra eaque Orthodoxa sententia, (ut ex superioribus constat) hæc, est: Bona Opera Renatorum quæ virtute Spiritus Sancti perficitur, nullam omninò habere vim aliquid coram Deo merendi, ita ut in illa confidere & de iis gloriari Renati neutiqvam possint; Hæc sententia nostra rationibus probatur & numero multis & pondere gravissimis, quarum præcipuas in disputationis aciem producemus.

§. 2. Primum argumentum, quo bonorum Operam meritum impugnare conabimur, de sumimus à denegatis meriti requisitis ita argumentantes: Cuicumque non competunt meriti verè & strictè sic dicti requisita, illud vim meriti obtinere non potest. Atqui bonis Renatorum operibus verè & strictè sic dicti meriti requisita non competunt. E. bona renatorum opera vim meriti obtinere non possunt. Major est extra Controversiam. Minor vero probatur per inductionem requisitorum meriti strictè sic dicti supra adductorum. Sunt autem illa requisita duplicis generis, quædam intrinsece ad ipsius meriti constitutionem requiruntur, quædam sunt: ut non sit debitum ut sit opus mercede dignum, ut sit proportionatum, quædam verò extrinsece saltem meritum consequuntur, cum eo tamen inseparabiliter cohærent. De singulis ordine.

§. 3. Inter requisita meriti intrinseca, s. quæ illud in esse suo constituunt, primum obtinet locum hoc: ut non sit debitum. Hinc ita argumentor: Nullum opus debitum potest esse meritorium. Cuncta piorum opera sunt debita. E. bona piorum opera non sunt meri-

meritoria. Major nititur sana ratione & ipsa etiam Scripturæ au-
toritate. Nam (1) ipsa sana ratio dicit, quod per solutionem de-
biti, nulla in creditorem redundet obligatio ad remunerationem, hæc
enim ratione non creditor sed debitor sui esset debitoris. (2) Confir-
mant hoc verba Christi Luc. 17. ubi ita loquitur: Qvis vestrum hac
bens servum arantem aut pascentem boves, qui regresso de agro di-
cat illi: Statim transi & recumbe, & non dicit ei: para quod cœnem,
& præcinge te, & ministra mihi, donec manducem & bibam, & post
hac tu manducabis & bibes. Nunquid gratiam habet servo illi, quia
ei quæ imperaverat fecit. Non puto; Sic & vos cum feceritis o-
mnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod
debuimus facere, fecimus. In quibus verbis Christus asserit, gra-
tiam vel compensationem, nec haberi, nec deberi pro opere debito,
ad quod quis aliàs est obligatus. Si enim servo herus nec habet nec
debet gratiam, quia facit, quod ei imperatum est, sequitur quod opus
debitum per modum servitii non sit meritorium gratiæ. Minor v.
constat ex l.c. ubi Christus hominibus postquam omnia divina man-
data jam executi sunt dicere jubet: quod debuimus facere, ad quæ
facienda obstricta eramus, fecimus. Fluunt præterea ex l.c. adhuc
duo alia argumenta:

I. N. Servus executione omnium mandatorum divinorum
quicquam potest mereri. At quicumque homines præser-
tim renati sunt servi Dei. E. Renati facientes omnia
mandata divina nil quicquam possunt mereri.

Major patet ex his Christi verbis: Nunquid herus gratiam habet Ser-
vo illi, quia fecit, quæ ei imperaverat? non puto. Attendit autem
Christus in his verbis statum servorū sub illo tempore; nullum enim
erat officii & laboris genus, ad quod non erant obstricti. Nos autem
Dei Servos esse, quæ Minor nostra est, nemo inficiabitur; cum ad id
simus creati, ad id redempti, ad id qq. sanctificati, ut Dei simus
proprii, & in regno gratiæ sub ipso vivamus ipsique serviamus in
morum sanctitate, vitæque innocentia. Hinc Paulus expresse de re-
natis adfirmat, quod liberati à peccati, servi Dei fiant Rom. 6. II. ar-
gumentum latet in verbis Christi: Cum feceritis omnia, &c. Lo-
quitur verò Christus hisce in verbis non absolutè, ac si poneret &
assereret posse legem Dei à Renatis hæc in vita perfecte impleri, sed

loquitur *in* *Jo. Felix* sive ponit, non autem simpliciter concedit. Renato posse legem Dei perfecte implere, & hoc vult Christus: Etiam si homo posset omnia, quæ ipsi divinitus leguntur præcepta, facere, eo tamen ipso nihil quicquam posset promereri, cum ad ea facienda teneatur. Argumentamur itaque ex his verbis ita: Situm quoque futuri sumus servi inutiles, si impleremus omnia, quanto magis cum non implemus. Legem autem divinam à nobis impleri non posse, vel ex eo constat, quod Act. 17. dicitur, legem esse jugum, quod neque nos neque Patres nostri portare potuimus.

§. 4. Alterum requisitum meriti verè & stricte sic dicti est, ut sit mercede dignum opus illud, quo aliquid pro mereri volumus. Nam si opus non respondet dignitate sua præmio, ut alter operis dignitate ad compensationem operis teneatur, tunc non meriti, sed gratuitæ saltem compensationis nomen sortitur. Opera autem nostra cum præscriptam in Divina lege perfectionem non assequantur, nulla sane digna sunt mercede, quin potius ob imperfectionem Deum iudicem requirunt, nisi meritum & satisfactio Christi plenissima intercedat, imperfectiones nostrorum operum tegat, eaque Deo grata & accepta reddat. Cum hoc requisito ferme coincidit illud, ut opus sit proportionatum, sive ut proportio intercedat Geometrica inter opera tanquam causam merentem, & rem promeritam. Ipsa enim actualis operum retributio est actus justitiæ distributiæ, quæ semper æqualitatem & proportionem Geometricam attendit. Jam verò nulla est proportio, inter bona illa, quæ operibus acquiri dicunt Pontificii, & inter opera nostra: hinc ergo infallibiliter concludimus bona nostra opera non esse proprie meritoria.

§. 5. Extrinseca meriti stricte sic dicti requisita, quæ non in convenienter concomitantia appellaveris, respiciunt partim ipsum subjectum, quod merendi studio laborat, partim etiam objectum, ad quod meritum dirigitur, seu penes quem aliquid meretur. In priorum numero sunt (1) ut opus illud, quo mereri aliquid cupimus sit tantum nostrum (2) ut sit è nostro, sive ex nostris viribus; unde sic argumentamur:

Quæcunq; opera non sunt α) propria illius hominis, qui merendi studio laborat, effecta, nec β) ex propriis sed alienis viribus proveniunt, illa non possunt esse meritoria

Atqui

Atqui cuncta B. O. piorum non sunt ipsorum propria nec à propriis eorundem viribus perpetrata. E. non possunt esse meritoria. Minorem quod attinet, eam satis puto esse manifestam. Nam Spiritus S. in cordibus fidelium habitans non est otiosus, sed operatur in illis, & per illos tanquam per organa gratiæ suæ bona, & urget, ut in virtutum stadio alacriter progrediantur. Quauquam enim homines iustificati & in gratia Dei jam constituti, Spiritui Sancto, cuius templa sunt, cooperentur; hoc ipsum tamen, non provenit è propriis eorundem viribus, siquidem has ipsas vires, quibus Spiritui S. cooperantur, habent per specialem Spiritus S. concessionem, adeoq; etiam effecta illa nempe bona opera non ipsis Renatis, sed Spiritui S. tanquam causæ principali adscribenda sunt.

§. 6. Ultimum deniq; meriti stricte sic dicti requisitum, quod objectum concernit est, ut sit opus, quo indigeat is apud quem mereri volumus & ex quo utilitas ei accedat. Si hoc quoque requisitum ad nostra opera hæc q; ad objectum eorum nempe Deum applicuerimus, *εὐδελον* erit, ea meriti rationem obtinere non posse. Certè enim Deus, operibus nostris non indiget, sed præscribendo B. O. saltem nobis proposuit *γυμνάσιον*, in quo nostra eidem debita se exerceret obedientia. Nec ullam Deus ex operibus nostris capit utilitatem, sicut nullum è malis nostris operibus in ipsum redundat detrimentum, quam in rem bene scribit Hiob. Si peccaveris, quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porro si justè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet: Job. 15.

§. 7. Secundum argumentum, contra fictitium illud Pontificiorum B. O. meritum, desumimus ab operum Renatorum etiam hominum imperfectione, ita argumentantes:

N. opus imperfectum potest esse ex condigno meritorium. Atqui cuncta Renatorum opera sunt imperfecta E. non possunt esse meritoria.

Majorem quod attinet illa sua radiat luce. Cum enim Herus aliquis operarium ad certum aliquod opus peragendum conducit, antequam cum eo de mercede paciscatur, ab eo exigit, ut hoc vel illud opus ad debitam perfectionem deducat, quod etiam promittit operarius. Quod si igitur operarius opus illud laboribus suis ad de-

B. 3

bitam

bitam perfectionem non perducatur, nec herus tenetur reddere operario promissam mercedem, quia id, quod ab ipso requirebatur non peregit. Minorem probo hoc modo:

Quodcunque opus debitam & in lege præscriptam perfectionem non assequitur, illud legaliter non est perfectum. Atqui B. O. Renatorum debitam & in lege præscriptam perfectionem non assequuntur. E. B. O. Renatorum legaliter sunt imperfecta.

Minorem probo (1.) inde, quia dicente Paulo, finis præcepti est caritas ex puro corde, & conscientia bona, & fide non ficta 1. Tim. 1. v. 5. Hunc autem finem nemo etiam Renatorum assequitur; quis enim est, qui diligere Deum potest, ex tota anima, & totus viribus, proximum verò sicut seipsum Matth. 22. ex observatione autem horum præceptorum tota dependet lex & Prophetæ. Si igitur Renati ob sibi adherentes imperfectiones summum dilectionis à lege requisitæ gradum non assequuntur, in aliis sane præceptis multis modis existent prævaricatores. De hac sua infirmitate gravissime quoque ipsi conqueruntur Renati, quando cum Paulo singuli inquirunt: Scio, quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum. Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod odi malum, illud facio. Condelector quidem legi Dei secundum interiorem hominem. Video a. aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Rom. 7. v. 18. 22. 23. Et sane ipse David, non adeo deprecatus fuisset Dei iudicium, si scivisset, se ex assè divinæ legi posse satisfacere eamque implere, adeoque id, quod Deus in iudicio requirit impletionem videlicet legis perfectam præstare. Accedit & hoc, quod etiam Renati quotidie orare jubentur: Remitte nobis debita nostra Matth. 6. E. se debitores legis divinæ profitentur. Si igitur quotidie sunt & manent debitores legis, certe nondum persolverunt ea, quæ legi debebant nempe perfectam impletionem, alias enim debitores esse non possent. Causa verò cur Renati opera imperfecta & carnis vitiis contaminata edant, hæret (a) in ipsa renovatione; cum enim illa hæc in vitâ sit imperfecta, non possunt non sequi bona opera imperfecte talia; qualis enim causa talis effectus. (β) quia non procedunt ab homine totaliter spiritali Rom. 7. v. 14. sed ab homine carnis cupiditatibus obnoxio, cui
pecca-

peccatum semper adhæret, utut ei propter fidem intercedentem non imputetur ad mortem. Nihil officit, quod opera Renatorum proficiuntur à Spiritu S. Ille siquidem non est causa eorum solitaria, quæ in homine fiunt, sed operatur per vires humanas, quæ vitiatæ, corruptæ, quæ multis modis imperfectæ sunt. vid. Jacob. Martini ad A. C. coll. 2. T. 1. Disput. 6. § 9. & hinc opera è viribus vitiatis & imperfectis imperfectionem suam trahunt.

§. 8. Progredimur nunc ad argumentum tertium quo Pontificiorum sententiam de B. O. merito impugnamus. Est autem illud desumptum ex eo, quod meritum B. O. meritum Christi evacuat; quod sic ostendo:

Aut Christus sua passione ac morte justificationem, vitam æternam nobis meruit, aut non meruit. Si meruit, nostro non opus erit merito; Si non meruit frustra Christus est mortuus.

Ego non sane video, quæ ratione Pontificii hic sese possint expedire; Christum enim suo merito operibus nostris vim merendi promeruisse citra auctoritatem Scripturæ asseritur. Porro ita argumentor:

Quæcunq; assertio omnem merendi vim à Christo ejusq; merito in propria nostra opera transfert, illa meritum Christi evacuat, & fundamentum humanæ salutis evertit. Atqui assertio de B. O. merito &c. E.

Major est extra Controversiam. Minorem vero probo ex ipsis Pontificiis, utpote qui omnia beneficia merito Christi nobis parta B. O. nostris adscribunt. Dicunt B. O. mereri justificationem, dum asserunt, nos ad justificationem, quam vocant primam disponi, per fidem, spem, dilectionem, pœnitentiam similiter, augmentum gratiæ, quod justificatio ipsis est secunda nos operibus nostris verè promereri. Præterea ipsam vitam æternam merito B. O. nostrorum adscribere non verentur, quando scribunt: hominem Renatum si in gratiæ statu discesserit vitam æternam ipsamque actualem ejus consecutionem vere promeruisse censendum esse. Vid. Concil. Trid. Hæc autem omnia in S. Pandectis Christi merito adscribi certum est; quid igitur hoc aliud est, quam vim merendi à Christi merito ad opera nostra transferre. Quamquam enim Becanus excipiat se non adscribere hæc merita operibus nostris directè sed indirectè, neque se operum nostrorum merita Christi merito opponere, cum asserant omnem

omnem vim operibus nostris aliquid promerendi merito Christi esse
acquisitam hæc ipsa tamen exceptio nullus est momenti, utpote cui
Scriptura diserte reclamatur. Illa enim nihil novit (ut jam supra dixi-
mus) de tali Christi merito, quo nobis meruerit mereri, quin potius
merita nostra Christi merito opponit, & ita omnem subordinatio-
nem excludit.

§. 9. Quartò Pontificiorum sententia impugnari potest ex ipsis
Pontificiorum hypothefibus. Statuunt enim Pontificii hominem,
quam diu hac constitutus est in vita, de sua salute non posse esse certum,
sed semper habere necessum, ut de gratia Dei suaque dubitet salute.
Ex hac hypothefi uno quasi ictu Pontificiorum sententia prosterni-
tur. Ita enim argumentor :

Cujuscunque opera mercedis, quam reportat sunt vere meri-
toria, ille de mercede promerita potest esse certissimus.
Atqui Renati (juxta sententiam Pontificiorum) de salute
sua (quam asserentibus Pontificiis B. O. promerentur)
non possunt esse certi. E.

Majorem nemo potest negare, quæ exemplo probatur terreno; Si
enim quis operarius, operas suas heri locat alteri, prius de mercede
pro opera paciscitur, quam, laboribus finitis, jure ab heri, qui eum
conduxerat exigit, & certissimus est, mercedem laboribus promeri-
tam juste sibi denegari non posse, sed obligatum esse herum ad mer-
cedis laboribus verè promeritæ solutionem. Minorem verò in o-
mnibus ferme Scriptorum Papisticorum paginis videre licet. Quod
si autem dicas: Hominem quidem certum esse de eo quod prome-
ruerit vitam æternam (hoc enim sequitur ex sententia Pontificiorum,
asserentium homini licere Renato in merito operum suorum confi-
dere s. fiduciam ponere, quæ sane fiducia sine certitudine consistere
nequit) nihilominus tamen ipsum de actuali ejusdem consecutione,
debere, quam diu hæc in vita est, dubitare, eò quod lateat ipsum num
in statu gratiæ sit permansurus. E. nulla est hæc exceptio quod si
enim certus est homo Renatus certitudine absoluta de merito B. O.
suorum, hæc certitudo omnem in ipso tollit dubitationem, ipsumque
de consecutione promeritæ vitæ æternæ reddit certissimum. Nam
merces quæ semel laboribus est promerita, sine injustitiæ nota non
potest denegari ac proinde, si dicas, hominem operibus promeruisse
salu-

salutem, asserere quoque necessum habebis, illum hanc salutem pro-
meritam non posse amittere, adeoque nec de ejus consecutione du-
bitare; cum vinculum hoc, quo Deus homini ad compensationem
est obligatus, nunquam rumpatur; & sic tandem culpa in Deum re-
dundabit, quasi ipse rem justo & legitimo modo promeritam dare
recuset, quod asserere omnino est impium & blasphemum. Aut igi-
tur falsum, hominem de sua salute debere dubitare, aut falsum est
opera nostra esse meritoria.

§. 10. Ex hisce igitur concludimus, hominem etiam Renatum
Bonis suis operibus coram Deo nihil quicquam posse promereri. Se-
quitur hinc Corollarium: neminem in opera sua posse confidere,
imo gravissimum esse peccatum, si quis fiduciam, quam in Christum
ejusque meritum collocare debebat collocet, in opera, sive ex toto, si-
ve ex parte. Probamus hoc ipsum (α) quia in solum Deum ejusque
gratiam ut & Christi meritum omnis fiducia salutis collocanda est,
testante Apostolo Gal. 6, 14. absit mihi gloriari, nisi in cruce Domi-
ni nostri Jesu Christi (β) fiducia salutis est cultus soli Deo debitus,
Esa. 45. v. 21. Act. 4. v. 12. (γ) Justitia operum est imperfecta; ad-
eoque nulla gloriatio locum habere potest: de quo infra. Confer
Gerhard, LL. Theol, Loc. de B. O.

SECTIO III.

De

Antithesi Pontificiorum & oppositis argumentis.

§. I.

HActenus ergo vidimus nostram eamque Orthodoxam, de merito
H. B. O. à Pontificiis jactato sententiam, generaliter. Restat, ut
ea, quæ Pontificii contra hanc assertionem nostram excipiant, videa-
mus. Est nimirum sententia Pontificiorum nostræ è diametro op-
posita, dum operibus nostris vim meritoriam tribuunt. Dixi autem
supra, non constare inter ipsos Pontificios, de vera ratione, quæ ope-
ra nostra mereantur, siquidem apud ipsos disputatur: num opera
Renatorum mereantur ratione pacti, vel acceptationis Divinæ, num
verò ratione operis, num denique ratione utriusq; & pacti & operis;
& adhuc sub judice lis est. Concilium Tridentinum, ultimam mihi
videtur apprehendere sententiam, (quod fatetur ipse Bellarminus)

¶

quo.

quoniam modestiæ significandæ ergo, & honoris gratiæ, vitam æternam aliaq; dona spiritualia partitur inter meritum Christi & nostrorum operum merita. Hoc enim insinuat Sess. 6. cap. II. scribens: Itaque neque propria nostra justitia, tanquam ex nobis propria statuitur, neque ignoratur aut repudiatur justitia Dei, &c. & paulo ante: sine merito Christi opera nullo pacto meritoria esse posse. It. can. 32. ea opera esse vitæ æternæ meritoria, quæ per Dei gratiam & Jesu Christi meritum fiunt! Lindanus verò & Andradius (quem felicissimum Tridentini Concilii Interpretem salutant Pontificii) secundam sententiam suam faciunt; Lindanus enim (referente Magno nostro Chemuitio P. I. Exam. Concil. Trid. f. m. 186. a. b.) acriter reprehendit, quod quidam, qui inter Pontificios modestiores videri volunt, dicunt, Deum bona justorum opera remunerare, ex gratuita dignatione suæ clementiæ, contendit è contra, illud fieri secundum veram rationem meriti. Andradius verò argumentatur ex Paulo, non posse consistere illam partitionem, quæ B. O. remuneratione partitur, inter misericordiam Dei, propter meritum Christi, & inter debitum, propter merita nostrorum operum. Prima sententia arridet Gregorio de Valentia T. II. disp. 8. quæst. 6. punct. 2. ubi disputat: etiamsi opera nostra tanta non extent apud Deum, ut propter solam eorundem bonitatem, Deus ad compensationem eorundem teneatur: illa tamen nihilominus veram meriti habere rationem, posita ordinatione & promissione Dei, quæ pactum cum hominibus iniit, seque obligavit, ad nostrorum operum bonitatem, secundum justitiæ modum aliquem compensandam, cum Deus sit fidelis & seipsum negare non possit, 2. Tim. 2.

§. 2. Objiciunt Tridentini: Si Renati legi Divinæ ex asse possunt satisfacere, sequitur, quod opera eorundem fiunt meritoria. Verum est prius E. & posterius. Argumentum hoc totidem ferè verbis in Concil. Trid. cap. 16. legitur, ubi ita: Cum ille ipse Christus Jesus, tanquam caput in membra & vitis in palmites jugiter virtutem influat, quæ B. eorundem O. semper antecedit; comitatur & sequitur & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent, nihil ipsis justificandis amplius deesse credendum est, quo minus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, Divinæ legi, pro hujus vitæ statu, satisfecisse, adeoque vitam æternam, si tamen in statu gratiæ decesserint

cesserint, verè promeruisse censeantur. Fundamentum igitur meriti B. O. in his verbis ponitur impletio legis perfectæ, à Renatis præstita: Sed Resp. ad argumentum 1. Committi à Patribus Tridentinis, & quotquot alii hoc argumento utuntur, circulum, dum ignotum sive unum principium falsum per æque falsum probant. 2. Nego consequentiam: Etsi enim ponerem, (quod tamen Pontificiis neutiqvam concedo) posse à Renatis legem Dei hac in vita perfecte impleri, exinde tamen neutiqvam licebit inferre. E. sunt opera Renatorum, quibus legi Divinæ satisfaciunt meritoria, quippe jam supra dictum quod nullum opus debitum meritorium esse possit, & Christus ipse jubet, ut Renati, etsi omnia, quæ divinitus ipsis leguntur præcepta, fecerint, dicant: Servi inutiles sumus, omnia enim, quæ nobis præcepta sunt faciendo, fecimus, quæ facere debuimus. 3. Negatur Antecedens Renatos legi divinæ satisfacere posse ob causas supra indicatas. Sed audiamus, quomodo Pontificii Antecedens probent.

§. 3. Primo igitur dicunt: Si lex impletu est impossibilis, sequitur, quod Deus impletionem ab hominibus exigendo sit injustus, quoniam exigit, quod præstari ab ipsis non posse optime novit. Resp. N.C. Posterius enim è priori inferri nequit. Si igitur huic argumento vis aliqua in esse debet, Antecedens ita est formandum: Si lex omni tempore, omnique homini impletu est impossibilis, sequitur quod Deus sit injustus. Sed sic nego Antecedens: Lex enim ab homine in statu integritatis adhuc constituto, facile poterat impleri per inditas à Deo justitiæ & sanctitatis vires; & hodie nisi lapsus intervenisset, etiam omnibus impletu facilis esset. Jam vero ubi Protoplasti nostri suâ malitiâ vires illas legem implendi sibi concreatas, & sibi & posteris perdiderunt, Deus merito ab hominibus requirit, quod antea in Protoplastis iis donaverat, illi vero sua culpa amiserunt. Sicut enim creditor à debitore suo, cui certam, pecuniæ summam concedidit, eandem citra omnem injustitiæ notam reposcit, etsi alter illam dilapidaverit; ita etiam Deus jure requirit, quod nobis in Protoplastis concesserat, nosque in iis perdidimus.

§. 4. Argumentantur Pontificii porro: Si lex non potest impleri, frustra nobis est data. Resp. Nos non dicimus, legem plane à Renatis non posse impleri, quin potius docemus, Renatos multa per cooperationem Spiritus S. opera legis facere; sed hoc dicimus, ho-

minem etiam Renatum non posse legem divinam perfecte & per omnia implere, sed multas operibus juxta præscriptum legis factis adhærere imperfectiones. Hinc demum colligimus, Renatos legi divinæ plane non satisfacere, cum qui in uno delinquit præcepto, reus fiat omnium. Et sic saltem dicimus, legi non posse satisfieri à Renatis legaliter. Interim etiam certo respectu & in sensu Evangelico Renati legem Dei perfecte implent, dum ea, quæ operibus ipsorum desunt, perficiuntur, per perfectissimam Christi satisfactionem legi divinæ præstitam, quam illi vera fide amplectuntur sibi que applicant. Tertio; etsi lex non potest perfecte impleri, non tamen sequitur, quod frustra sit data, nam usum suum adhuc post lapsum habet. 1. Politicum seu coactivum, quando male feriatos coercet, ne exteriora peccata committant. 2. Ostensivum est enim speculum ostendens nobis maculas peccati, revelans iram Dei adversus peccatum, & hinc nos urget, ut Medicum in Evangelio propositum quæramus. 3. Directivum; dirigit enim, justificados, quomodo in novitate vitæ, ad obedientiæ declarationem suæque fidei demonstrationem, ambulare debeant.

§. 5. Objiciunt ulterius Pontificii pro tuenda possibili legis impletione perfecta, verba Christi, Luc. 10. quibus legis peritum ad legem faciendam ablegabat, inquam fac hoc & vives. Si igitur, inquam Pontificii, hic legis peritus facere debuit legem, ut consequeretur exinde salutem, sequitur legem impleri perfecte posse. Resp. Verba Christi non sunt absolute & simpliciter consideranda, sed simul attendenda est occasio & finis verborum Christi. Volebat enim Christus legis perito, qui justificationem & vitam æternam in legis observatione quærebat, ostendere, quam vana sit illa de impletione legis persuasio, hinc Responsionem suam conformat interrogationi & dicit: Fac ergo, quæ legis sunt, & vives, quasi diceret: Si faciendo vis obtinere vitam æternam, oportet te legem per omnia implere & in nullo legis præcepto prævaricator existere. Non igitur Christus legis peritum ad legem remittit, ac si eam perfecte posset implere, sed ideo, ut ex lege peccata & imbecillitatem suam agnosceret, perinde ac si quis ægrotum hominem (quo simili utitur B. Andr. Osiander in not. ad h. l.) qui ne stare quidem possit, & tamen sanum se jactitet, ingredi jubeat, ut ipsa experientia discat, quam sit imbecillis viribus. Hinc patet, quod Renati quando in Scriptura S. vocantur justii, non dicantur

dicantur iusti, ob perfectam legis impletionem, sed ob imperfectio-
num operibus adhaerentium gratuitam condnationem, non inhae-
re sive, sed imputativè propter justitiam Christi imputatam.

§. 6. Obj. II. Si Bona Opera Deo placent, & ille iis proposuit præ-
mia, sequitur quod sint meritoria s. vim merendi habeant. Atqui
verum est prius E. & posterius. R. Aliud est bona opera placere Deo,
aliud, placare & commovere Deum ad remunerationem; ex priori
posterius inferri nequit 2. placent bona opera Deo non ex se & sua
dignitate sed propter fundamentum suum, quod est fides, quæ app re-
hensione meriti Christi maculas bonorū operum tegit, eaq; conspicua
coram Deo reddit. 3. committunt Pontificii ignorationem Elenchi;
non enim est quæstio: num proposita sint bonis Renatorum operi-
bus præmia, sed quæ ex causa, & quidnam moverit Deum ad propo-
nenda præmia; non certè operis dignitas, sed gratuita illius volun-
tas, quæ ex mera gratia opera Renatorum: quæ jam tum debita sunt,
remunerare constituit.

§. 7. Obj. III. Si B. O. nullam habent coram Deo vim merendi, se-
quitur, quod non sint necessaria, sed libera. Atqui posterius est ab-
surdum, quia fores aperit Epicuræismo. E. & prius. R. N. C. non enim
sequitur B. O. non habent vim merendi. E. liberum cuiq; est, num
velit B. O. facere, nec ne? hoc saltem sequitur, E. B. O. non sunt neces-
saria ut causa meritoria. Et sic posterius non est absurdum. Ipsa si-
quidem Scriptura S. asserit, O. B. ut causam meritoriam non esse ne-
cessaria, omne siquidem meritum operibus denegat. Ex eo autem,
quod B. O. non sunt necessaria ut causa meritoria, plane ne-
quit inferri. E. prorsus non sunt necessaria, quæquam enim
non sint necessaria ut causa meritoria, sunt tamen alia ex ratio-
ne necessaria, tum ob mandatum divinum, & obedientiam
quam homines Renati per Spiritum S. Deo præstare tenentur, tum
ut homo his ipsis fidem suam aliis declaret, iisque proximum ædificet
Matth. 5. uti jam supra demonstravimus. Quapropter minimè li-
berum est homini Renato, num velit bona vel mala opera facere, sed
tenetur ad bona opera facienda, mala verò fugienda, ne iis ipsis Spiri-
tum S. per quem est Renatus excutiat, & poenas æternas incurrat. Uno
verbo: sunt B. O. necessaria ex parte hominis Renati, non verò ex
parte donorum spiritualium & ipsius vitæ æternæ, ut causa meritoria.

§. 8. IV. Gregorius de Valentia (uti supra dictum) statuit: Opera
Rena-

Renatorum vim merendi habere, non tam ex operis dignitate, quam potius è promissione & pacto divino, quo Renatis & bene operantibus compensationem promisit. Sed Resp. eò ipso quod meritum operum Renatorum dicitur fundari, non tam in dignitate operis, quàm potius in promissione divinâ, non est meritum appellandum, quippe, quod fundamenti loco semper habet dignitatem operis. Quæro enim, quidnam Deum moverit ad promissionem remunerationis, & num fuerit Deus obligatus ad hanc promissionem faciendam, Dicis, quod non fuerit obligatus. Ergo fundamentum hujus promissionis erit mera gratia. Regeris: Deum tamen, eò tempore, cum sponsionem hanc faceret, requisivisse & considerasse simul bonitatem operis Resp. Verum est, sed consideravit non ut causam, quæ ipsum moveret ad compensationem, sed saltem ut conditionem ex parte hominis necessariam, si promissionis gratuita capax fieri velit.

§. 9. Pro fiducia in B. O. collocanda objiciunt Pontificii exempla Nehemiæ, Davidis, Ezechiel, Pauli qui, ex sententia ipsorum, de operibus suis gloriantur, iisdem in calamitatibus se erigunt, inq; ea fiduciam ponunt. Sed non opus est, ut singula exempla percurramus, tempori enim & brevitati nobis est litandum. In genere itaq; respondemus: Hos omnes, recensendo B. O. sua, non loqui de justitia personæ sed causæ & bona conscientia; enumerare Dei dona, non sua merita, nec perfectionum, sed ἀνυπόκρυπτον sinceritatem obedientiæ suæ exponere.

CAPUT II.

Merito B. O. à Pontificiis Jactato in Articulo de Justificatione.

SECTIO I.

continens

*Brevem Articuli de Justificatione explicationem, Statusq;
Controversiæ formationem.*

§. I.

PRogredimur nunc à tractatione generali ad specialem, consideraturi, num meritum B. O. locum habere possit in Articulo, de nostra coram Deo justificatione. Circa subjectum quæstionis hujus, repetantur.

petantur ea, quæ cap. præced. Sect. I. dicta sunt, nolumus enim cramben adponere bis coctam. Prædicatum in quæstione positum examinaturi, in analysi & explicatione Articuli de Justificatione, cum ea faciat ad accuratam quæstionis cognitionem, paulo prolixiores esse jubemur.

§. 2. In evolutione terminorum, statim se nobis objicit vocabulum JUSTIFICARE, de quo litem nobis movent Pontificii, num illud idem sit ac justum aliquem declarare, num v. ex injusto justum facere, per habitus justitiæ infusionem. Ubi illi posterius manibus pedibusq; propugnant, urgentes compositionem vocis, quæ idem importet ac facere justum sc: per justitiæ infusionem. Nos contra docemus, Vocabulum justificare, in Oeconomia nostræ salutis, semper significationem habere forensis, idemq; esse, ac peccatorem peccata agnoscentem, adq; thronum gratiæ confugientem à reatu peccati absolvere & justum pronunciare. Quamquam enim ex abundantia concedamus, hoc vocabulum non nunquam physicum obtinere significatum, sæpius tamen & primario à Scriptoribus & Sacris & profanis in sensu adhibetur forensi; quam acceptionem etiam confirmat usus vocabuli Græci *δικαιῶν* & Hebræi *קָדַשׁ* ut multis exemplis ostendit E. Meisnerus P. II. Phil. Sobr. Sect. I. c. I. q. 28. à p. 316. - 368. ubi etiam Scripturæ loca ab Adversariis opposita egregie vindicat. Ponamus, etiam in ipsa Scriptura S. vocabulum hoc in sensu physico adhiberi interdum, hoc tamen nostræ nil derogat sententiæ, non enim est quæstio, num *δικαιῶν* Justificare nonnunquam adhibeatur in sensu physico, sed num in hoc sensu accipiatur iis in locis, quæ agunt de nostra coram Deo justificatione, quod nos negamus. In Scriptura S. enim quotiescunq; hoc vocabulum usurpatur in relatione inter Deum justificantem, & hominem tanquam subjectum passum s. justificandum, toties habet sensum judicialem s. absolutorium à reatu, nunquam verò physicum & infusorium justitiæ, sicuti calefactio physicam habet significationem tantum. Describit enim Scriptura justificationem nostram terminis judicialibus, opponit ei damnationem, quæ certe non notat infusionem qualitatis damnabilis, illa enim esset à Deo cui damnatio adscribitur, quod est impium & blasphemum. Nec quicquam causæ est, ut adeo urgeant Pontificii vocis compositionem, cum ea non ubiq; procedat, siquidem & nos, quando Deum dicimur glorificare,

rificare, non ex inglorioso, gloriosum, non ex profano sanctum facimus, sed talem celebramus & prædicamus. Conf. B. Meisnerus Antrop. S. Decad. 3. disp. 24. p. m. 149. th. 26. & in Phil. Sobr. loco citato.

§. 3. Quemadmodum igitur justificare idem est in hoc Articulo, ac aliquem peccatorem peccata agnoscentem à reatu peccati absolvere, & justum pronunciare, ita justificatio, erit actio Dei Trinunius, qua hominem peccatorem, à morte peccati resurgentem, & gratiam quaerentem, ob meritum Christi fide apprehensum, peccata remittit, justitiam Christi imputat, & ob imputatam Christi justitiam justum declarat & ad vitam æternam acceptat. E dictis patet, justificationem hominis peccatoris in duobus actibus positum esse (1) negativo, consistente, tum in peccati oblivione & non annotatione, tum in reatus dimissione & non imputatione (2) positivo, quo Deus id, quod in nobis non est, nostri tamen causa est præstitum, justitiam intellige Christi imputat, & ob eandem justos declarat. Hi duo actus non sunt confundendi, quanquam enim tempore non distent, siquidem eò ipso tempore, quo Deus homini noxam peccati remittit, ei quoque imputat justitiam Christi, natura tamen, dimissio culpæ præcedit.

§. 4. Duo quoque, ut è definitione colligitur, sunt in justificatione hominis peccatoris termini, unus à quo, alter ad quem. Terminus à quo est peccatum, quod homo justificandus coram tribunali Divino constitutus ex lege, quæ illum accusat, agnoscit, quodque ille detestatur; Terminus ad quem est justitia. Describitur autem in S. literis triplex justitia 1. legis, eaque vel perfecta, qualem in Renatis etiam non invenies, vel imperfecta, quæ in externâ quadam obedientia consistit. 2. Evangelii, quæ credentibus imputatur per fidem in Christum, & hinc justitia fidei appellatur. 3. novæ obedientiæ, quæ à Renatis & jam tum justificatis per exercitium bonorum operum acquiritur. Hæc ipsa tamen justitia est, sicut pannus mulieris menstruatae, multisque laborat infirmitatibus. Nos quando terminum justificationis ad quem dicimus esse justitiam, tunc non justitiam legis, nec justitiam novæ obedientiæ, sed justitiam Christi, quæ per fidem credentibus imputatur, intelligimus, ideò enim justificamur, ut ob meritum justitiæque Christi imputatam justus coram Deo pronunciemur. Consistit autem hæc Christi justitia in obedientia ejus tam activa, quæ in perfecta legis impletionem, tum passiva, quæ in acerbissima morte ac passione, posita.

posita. Christus enim nobis à Deo factus est in JUSTITIAM. 1. Cor. 1.
& hinc est יהוה אלהינו Jehovah justitia nostra Jer. 23. Hanc justitiam
Deus è mera sua gratia, quæ est causa nostræ justificationis impulsiva in-
terna, ob ipsam illam Christi justitiam (quæ & causa impulsiva externa,
& quoq; causa nostræ justificationis formalis existit) omnibus homini-
bus offert, per verbum & Sacramenta, quæ sunt organa nostræ justifi-
cationis μεταδοτικά sive exhibitiva. Per hæc organa Spiritus S. in cordi-
bus hominum, nisi ipsi malitiose obicem ei ponant, operatur, excitans
in iis fidem, quæ tanquam organo ληπτικῷ à morte peccati suscitati,
oblatam Christi justitiam apprehendant, sibi applicent, eamq; sibi im-
putari, ac per & propter eam justificari, coram tribunali divino consti-
tuti, cupiant.

§. 5. Non autem hic intellectam volumus fidem generalem, quæ om-
nia complectitur, suo assensu, quæ in Scriptura sunt tradita, sed spe-
cialem, quæ pro objecto habet promissiones, de gratuita peccatorum,
ob interveniens Christi meritum, homini obvenienda remissione. Et hæc
specialis fides non est nuda saltem notitia, sed simul assensus, & fidu-
cialis meriti Christi apprehensio, quæ homo justificandus sibi firmiter
persvadet, Deum vi promissionum suarum, sibi ob meritum Christi fore
propitium, & peccata etiam gravissima remissurum. Requiritur ad fidem
veram s. justificantem notitiam, & quidem explicitam, probo (1) hoc ar-
gumento: Cuicunq; opponuntur ignorantia, cœcitas, ac tenebræ, illud
non potest non esse notitia explicita. Atqui fidei justificanti opponun-
tur ignorantia, cœcitas, ac tenebræ. E. sequitur, quod sit & debeat esse
notitia explicita; Major patet è Canone Philosophico: Oppositorum op-
posita est ratio. Minor probatur ex Act. XVII. 23. Luc. I. v. 79. Rom. XI
25. Eph. IV. 8. (2) In quocunq; est assensus ibi est notitia, in fide est assen-
sus, ipsis Pontificiis fatentibus, (expresse enim Jesuitæ in Censur Colon,
fidem firmissimam assensionem definiunt,) E. in fide etiam adest noti-
tia. Major inde patet, quia nemo rei antea prorsus incognitæ assenti-
tur. (3) Quocunq; intelligimus, id ipsum notitiam in se habet; nemo
enim per ignorantiam potest intelligere. Atqui intelligimus. Heb.
II. v. 3. E. fides in se habet notitiam. Proinde falsum & impium, est quod
dicit Bellarm. lib. I. de justif. c. 7. fidem melius per ignorantiam, quam
per notitiam definiri. Requiritur etiam ad fidem veram, fiduciam, proba-
mus hoc modo: Cuicunq; fidei non competunt effectus fidei justifi-
cantis, quos effectus ipsa coram ei assignat, illa non est vera fides justifi-

D

cans

eans. Atqui fidei, quæ tantum est notitia & assensus, & non simul fiducia non competunt &c. E. Major est certa. Minor patet (α) quia fides justificans efficax est per charitatē Gal. 5. p. 6. At fides illa quæ tantum est notitia & assensus non est efficax, ut videmus in Diabolicis & impiis, qui, ipso Costero fatente, fidem Pontificiam habent. (β) tribuitur fidei justificanti in S. literis remissio peccatorum, Act. 10. v. 23. vita & salus æterna Joh. 3. v. 16. Joh. 6. v. 40. & 47. Hi autem effectus non tribuuntur fidei, quæ nuda est notitia & assensus, quis enim diceret, impios fide Pontificia consequi vitam æternam. Si igitur fides citra fiduciam non est fides vera & justificans, sequitur, quod necessario fiducia ad veram & justificantem fidem requiratur.

§. 6. Fides justificans, quamprimum à Spiritu S. in corde hominis est accensa, non est otiosa, sed statim se exerit per charitatem, & alia bona opera, ut alii etiam homines intelligant, hunc vel illum hominem habere veram fidem. Quapropter B. O. ad fidem veram, omnino sunt necessaria, si illa consideratur in se, non verò quia est justificans, & quidem ideo sunt necessaria, ut fidem, aliorum etiam hominum oculis cognoscendam exponant, & de fide interna testimonium ferant externum. Et huc tendunt verba Christi: bona arbor non potest malos fructus ferre. Et sedula adhortatio: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona Opera vestra Matth. c. 5. Hinc etiam Jacobus, fidem illam, quæ est sine operibus, fidem mortuam vocat Jacob. 2. Sequuntur autem hæc opera hominem justificatum, non præcedunt justificandum.

§. 7. Hæc fides dicitur justificare in Scriptura S, non eò sensu, ac si nostra notitia, assensus, & fiducia, aut ipse actus voluntatis apprehensivus justificet ac salvet. Sicuti enim admotio activa cibi, ut sic, non dicitur saturare, sed ipse cibus admotus ut admotus. Hinc ait Hulsemanus in Breviar. p. 148. sola fides, quæ creditur, seu objectum quod creditur, meritum nempe Christi solum imputatur ob pretium & valorem. Et hoc est, quod ajunt Theologi: fides justificat relativè, hoc est ratione sui relati, nempe Christi ut apprehensi: Unde quando dicimus, fides justificat, sensus est: Christus, ut fiducialiter applicatus, justificat.

§. 8. Circa statum Controversiæ notetur, eundem à Pontificiis plus decies esse mutatum, quidam enim operibus legis moralis tantum nos justificari asseruerunt, alii lege naturæ, quoad Patriarchas, lege Mosis, quoad Israelitas posteros, lege Christi s. Evangelii, quoad nos; alii fide formata, hoc est fide & charitate simul, alii operibus tanquam causis

ΩΥ ΩΥΕΥ

ὅν ἀνευ δ' αὐτοῦ, alii fide & gratia, itemq; operibus, non ex se quidem vim meriti habentibus, sed ex misericordia Dei mutuantibus, alii interdum fide impios salvari, relapsos v. in peccata B. O. docuere. Alii operibus tanquam causæ organicæ applicandi salutem & justitiam, alii operibus non ad consequendam, sed ad augendam justitiam, operibus non ratione justificationis, sed ratione salutis, fidei quoad initium, operibus quoad progressum vim justificandi tribuerunt; Alii fidei ratione primæ, operibus ratione secundæ justificationis. Quæ de re videantur B. Hopffnerus *Sythem. Theol. MS. L. XL. de Justif. p. 614.* & B. Jacob. Martini *T. I. Disp. in Aug. Conf. Coll. 2. disp. 2. thesi 6. qvi tredecies Controversiæ statum à Pontificiis mutatum, ex ipsis Scriptoribus Pontificiis probat, quod ipsum sat luculentum morbidiæ Pontificiorum causæ est indicium. Non equidem constitutum mihi est, singulas hasce opiniones sub disquisitionis incudem revocare, sed ultimam saltem, tanquam communioem inter Papistas examinare, quod, ut ordine fiat, circa statum Controversiæ, sequentia veniunt probe notanda.*

§. 9. Faciunt Pontificii justificationem duplicem, primam & secundam. Illam dicunt esse, quæ ex injusto fiat justus, per habitus justitiæ infusionem. Hanc verò, quæ ex justo adhuc fiat justior. Illam quidem dicunt provenire ex gratia, sed tamen nos ad eam disponi asserunt, per fidem, timorem, spem, dilectionem aliquam, & pœnitentiam. Sic enim Jesuitæ in *Censur. Coloniensi fol. 148.* dicunt: Fides hoc in nobis agit, ut præparentur atq; accommodentur animi ad justificationem primam in se recipiendam. Neq; verò id fides efficit sola, sed præterea charitas, sed misericordia & Eleemosynæ, sed timor Domini, sed pœnitentia, multaq; id genus, quæ longum foret enumerare. Hæc dispositione facta, dicunt, immediate sequi primam illam justificationem, quæ Deus justificando habitum justitiæ homini infundat, ut per eam sibi inhærentem justitiam justificetur. Hac de dispositione ad justificationem sententiâ stabiliunt Pontificii figmentum illud Scholasticorum, de merito congrui, ipsisq; disponi ad justificationem, quæ vocant, primam, nihil aliud est, quæ eandem ex congruo per enumeratas virtutes mereri, quod ad oculum patet, si definitionem meriti congrui, cum *Concil. Trident. conferramus.* Meritum congrui enim definitur, quod sit actus, libere elicitus ab homine, acceptusq; à Deo ad retribuendum, non ex debito justitiæ, sed ex sola acceptantis liberalitate. Jam verò dicunt Tridentini, Deum, postquam ante enumeratas virtutes præviderit in homine, moveri ad justificationem

cationem ejus, eumq; dignum judicare, cui gratia justificationis conferatur. Posteriores quam vocant Pontificii, s. secundam justificationem operibus nostris, per charitatem in prima justificatione infusam factis, adscribendam docent, ipsiq; consentunt opera nostra plus efficere in secunda justificatione, quam Christi meritum & Dei gratia efficiat in prima justificatione. Ne tamen gratiam Dei prorsus excludere videantur, dicunt nos ideo gratis & ex gratia, juxta Apostolum, justificari, quia illa ipsa opera, quibus justificationem mereamur, ex gratia, in prima justificatione nobis infusa, proveniant, & ita Deus, nos justificando propter opera, gratiam pro gratia reddat. Vid. Ludov. Granat. in Duce peccat. l. i. P. I. c. 5. p. m. 86.

§. 10. Duo igitur sunt, quæ inter nos & Pontificios hic veniunt in Controversiam. I. num ad justificationem disponamur per fidem, spem, & ita eam de congruo mereamur. 2. num B. O. post justificationem factis augmentum gratiæ, majoremq; justitiam mereamur. Ubi Pontificii affirmativam defendunt; nos negativam. Omne a. causæ Pontificiæ præsidium positum est in falsa illa distinctione, de duplici justificatione. Non igitur est quæstio inter nos & Pontificios I. de eo; num fides justificans etiam in ipso justificationis actu præsentia habeat quædam B. O. nam hoc & nos concedimus, quod illæ quidem virtutes, quæ fundamentum fidei, sunt, videl. assensus & fiducia semper adsint fidei justificanti, & absq; iis fides non possit esse justificans & vera fides, sed de eò quæritur: an illæ virtutes, cum aliis ex iis promanantibus simul in justificationem tanquam causa meritoria influant. Neq; 2. quæstio est, num nova Renatorum obedientia, quæ quoq; in scriptura justitiæ appellationem sortitur Rom. 6. Ephes. 4. crescere & augeri debeat in hac vita, sed num hoc justitiæ inhærentis incrementum, bonis operibus, comparari possit ac debeat? Pontificii, utrumq; adfirmant; Nos utrumque negamus.

SECTIO II.

De

Vera sententia cum probationibus.

§. 1.

Nostra igitur, eaque Orthodoxa sententia est, O. B. meritum in Articulo, de nostra coram Deo justificatione, prorsus exulare debere, adeoq; nec disponi nos per ea ad justificationem, nec gratiæ augmentum iis mereri posse, contra Pontificios docemus. Cum autem (ut supra diximus)

diximus) sententia & hypothesis Pontificiorum, de duplici justificatione, fit arx & primarium causæ Pontificiæ, in hac materia, fulcrum, nunc, ubi negativa nostra contra Pontificios est probanda, quædam præmittam fundamenta, quibus hæc Pontificiorum hypothesis potest labefactari, & sic everso fundamento, sententia ei superstructa, facile corruet.

§. 2. Contra duplicem justificationem ita argumentor: Quæcunque distinctio (1) Scripturæ S. plane incognita, imo eidem è diametro contraria (2) absurda (3) impia & blasphema, illa est rejicula. Atqui hæc distinctio justificationis, in primam & secundam, est talis. E. Minor per singula membra est probanda. Primum membrum quod attinet, nempe distinctionem hanc justificationis in primam & secundam Scripturæ S. plane esse incognitam, imo eidem è diametro contrariam, illud probo (1) inde, quia Scriptura non solum initium, sed & complementum justificationis operibus derogat, & soli fidei adscribit; proinde Pontificii duplici sua justificatione figmentum Scholasticorum, quod Christus primam tantum gratiam nobis promeruerit, cujus auxilio, concurrente libero nostro arbitrio, ipsi postea bonis nostris operibus promereri possimus, ut Deo magis simus grati, in Ecclesiæ profectum reducunt, quod diu jam est damnatum. Conf. Chemnitius P. 1. Exam. Concil. Trid. p. 152. b. (2) Scriptura unum saltem justificandi modum proponit, quare ita argumentor: Si uno modo justificamur omnes, sequitur unam, non geminam esse justificationem. Verum est Antecedens E. & consequens. Antecedens patet ex Act. 15. v. 11.

§. 3. Absurdam quoque esse distinctionem justificationis in primam & secundam, probo hoc argumento: Quæcunque sententia (1) distincta confundit (2) justificationem inter legem & Evangelium partitur, ea est absurda. Atqui sententia de duplici justificatione, hoc facit. E. Minorem, & quidem quoad prius membrum probo, quia hac distinctione confundunt Pontificii justificationem cum sanctificatione & renovatione; justificatio enim secunda ipsis est, quæ ex justo adhuc fiat justior, per studium bonorum operum. Hinc expresse dicunt Tridentini c. 7. Examini, quod justificatio non sit sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis. Esse autem distincta, justificationem & renovationem, illud patet (a) è diversa utriusque conditione. Renovatio enim, sive sanctificatio est qualitas homini inherens justificato, illa vero minime, sed tota extra hominem,

in Deo, qui hominem fontem ob interveniens Christi meritum absolvit, eundemque justum declarat. Conf. Chamier. T. 3. Panstrat. Cathol. Veritatis l. 10. c. 1. §. 5. (β) è subjecti diversitate. Justificationis subjectum est homo à morte peccati resurgens, h. e. peccata sua agnoscens, & in Christum credens, Rom. 3. v. 12. 26. c. 4. v. 3. Renovationis vero, homo justificatus, in quo fides per charitatem est efficax Galat. 5. v. 6. (γ) è principii & modi agendi diversitate. Justificatio est actio solius Dei Luc. 7. v. 49. Rom. 3. v. 24. forensis & intrinseca, quæ consistit in non imputatione nostræ injustitiæ, & imputatione justitiæ Christi Rom. 4. v. 6. 7. 8. Renovatio vero convenit quidem subjecto intrinsecè, ejusque principium est Deus, sed non solus. Postquam enim homo est justificatus, Spiritui S, viribus divinitus concessis cooperatur. (δ) è termini ad quem diversitate. Justificationis terminus ad quem est justitia Christi per fidem imputata. Renovationis verò, sanctitas nobis inhærens, Eph. 4. v. 24. Alterum membrum Minoris argumenti sic probo: Si justificatio alia est prima & gratuita, alia secunda seu meritoria, non solo Evangelio, sed & lege justificamur. Consequens est absurdum & falsum uti patet è Rom. 3. v. 28. c. 8. v. 3. Gal. 2. ubi Apostolus in Articulo justificationis Legem & Evangelium opponit, & justificationem soli fidei adscribit. E. & Antecedens. Consequentia est firma, si enim illa justificatio, quam Pontificii secundam vocant, ex operibus provenit, certe etiam lege, ad quam opera spectant, justificamur. Conf. Himmel. Syntagm. disp. 23. §. 14. p. m. 282.

§. 4. Esse quoque hanc distinctionem Pontificiam impiam & blasphemam, inde patet, quia operibus hominum plus tribuit quam fidei in Christi meritum, huic initium adscribit, & quidem, ut in prædicamento qualitatis, sive ut virtus Theologica consideratur; illis justificationis complementum & augmentum: illa restringitur ad unicum momentum, (verbis mihi liceat uti M. nostri Chemnitii) quando homo primum ex impio fit justus, ut in uno tantum & primo illo momento primæ conversionis, gratis per fidem in Christum, sine operibus, justificemur; illa ad totam vitam ejusque finem extenduntur, ut in tentationibus, in agone mortis & tandem ad vitam æternam justificemur coram Deo operum nostrorum merito, & quidem ita, ut major auctior & dignior sit altera illa justificatio, quæ fit propter opera nostra, quam prima, quæ fit per fidem in Christum, quod haud obscure colligamus licet è cap. 10. Concil. Tridentin. Conf. B. Martinus Chemnitius P. 1. Exam. Concil. Trid. p. 152. & in Theol. Jesuit. c. 7. §. 5. His

§. 5. Hisce sic præmissis, nunc progredimur ad probationem negativæ nostræ sententiæ, ostensuri, nos, neque ad justificationem disponi per B. O; nec iisdem justificationis incrementum promereri posse. Primum itaque argumentum desumimus, à sana ratione, ita argumentantes: N. effectus, ejusdem rei, cujus est effectus, potest esse causa. Atqvi B. O. sunt effectus justificationis. E. Major per se clara satis est & manifesta. Minor verò patet, quia justificati, qvi ante justificationem servi erant peccati, per justificationem servi fiunt justitiæ; & Renovatio, quæ *μετανοητικῶς*, posito effectu pro causa, B. O. appellatione notatur, expresse dicitur fructus justificationis. Ita enim Paulus Rom. 6. nunc liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem. Hinc alibi dicit Apostolus: Ipsius sumus factura, creati in Christo Jesu, ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus Eph. 2. v. 10. Conf. Jacob. 2. v. 14. Concludimus E. cum Augustino: B. O. non præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum,

§. 6. Argumentor II. à diserta operum exclusionem: Quicquid Scriptura S. à justificatione excludit, illud causa justificationis meritoria esse nequit. Atqvi B. O. ab ipsa justificatione excludit. E. Major patet è natura oppositorum: causa enim justificationis ab actu justificationis excludi nequit. Minorem verò probo ex iis Scripturæ dictis, in quibus opera bona ab actu justificationis removentur, addita particula exclusiva, quales sunt: SINE, NON EX OPERIBUS &c. Sic dicitur Rom. 3. *λογίζομεθα δικαιῶσθαι ἀνθρώπων, χάριτι ἔργων νόμου*; Ratione colligimus, hominem justificari sine operibus legis, Gal. 2. v. 16. Scientes, quod non justificatur homo ex operibus legis. Pertinet huc particula illa exclusiva: SOLA, quam nostri Theologi, ductu Scripturæ, in hac materia adhiberi soliti sunt, dicentes, hominem sola fide justificari, quia ipsa particulâ, B. O. non tantum à causa formali, sed etiam à meritoria excluduntur, quod sic ostendo:

Si solius fidei intuitu, Deus propter objectum ejus, nempe justitiam Christi apprehensam, movetur ad hominis peccatoris justificationem, sequitur, quod non moveatur ad eam per opera. Verum est prius E. & posterius. Prius patet è loco supra cit. Sed dicis, Deum per fidem moveri ad justificationem, non ob objectum nempe justitiam Christi apprehensam, sed merito B. O, per quæ fides viva evadat. Verum nego suppositum: (1) quia est figmentum Papisticum, Scriptura

pruræ incognitum (2) latet hic *πρωτον* *ἰσθητων* Pontificiorum: fidem
aliam esse per charitatem formatam, aliam informem. (3) Resp. Fi-
dei *ἐνεργεια*, s. efficacia est duplex, una, quæ in Christum Mediatorem,
verbo Evangelii monstratum, recumbit, ejusque beneficia appre-
hendit; altera, quæ per charitatem est efficax. Fides saltem ratione
prioris *ἐνεργειας* Deum ad justificationem hominis peccatoris mo-
vet, non ratione posterioris. Respectu duplicis hujus *ἐνεργειας*, fi-
des etiam dupliciter viva est, & dici potest, (α) secundum essentiam
suam, ex, & à quò habet, ut viva sit, (β) secundum cognitionem
passivam, ratione eorum, ex & à quo habet, ut viva ab aliis cogno-
scatur; priori respectu, fides id, quod viva sit, habet ab apprehensio-
ne fiduciali meriti Christi, & promissionum divinarum. Posteriori
modo, non ut sit, sed ut cognoscatur ab aliis, & à mortua discernatur,
habet ab operibus Jacob. 2. sed hac ratione Deum ad justificatio-
nem movere non potest, cum ad exteriorem saltem hominum cogno-
tionem pertineat.

§. 7. Ad allatum argumentum Pontificii excipiunt I. per parti-
culas illas exclusivas non excludi cujusvis legis opera, sed tantum cere-
monialis, per quæ homo justificari non possit in N. T. eò, quod est abro-
gata. Resp. Falsum est sola opera ceremonialia, & non moralia simul
excludi; siquidem quæ hinc de lege, cujus opera Apostolus à Justificatio-
ne excludit, dicuntur, vel plane non conveniunt legi ceremoniali, vel si
conveniunt, eidem tamen non soli, sed etiam legi morali congruunt.
De ea enim Apostolus loquitur lege, è quæ agnitio est peccatorum.
Rom. 3. quam erat operatus Rom. 4. v. 5. & omnes homines peccati ar-
guit, Rom. 3. v. 10. & damnat universum mundum, quæ cordibus ho-
minum inscripta est, Rom. 2. v. 15. quæ data est, propter transgressiones,
Gal. 3. v. 19. quæ execratur omnes homines, propter inobedientiam,
v. 19. à cujus maledictione Christus nos liberavit, v. 13. Sed hæc quomo-
do legi conveniunt morali. Excip. II. Paulum duntaxat excludere o-
pera hominum nondum regeneritorum, non autem excludere opera ho-
minum jam regeneritorum & justificatorum, (justificatione subintellige
prima) adeoque saltem in his locis, de justificatione prima agere. Resp.
Nulla est hæc exceptio; Si enim (1) justificatur homo absque operibus,
quæ regenerationem & justificationem præcedunt, sequitur necessariò,
quod homo justificetur etiam absque iis operibus, quæ regeneratio-
nem

nem & justificationem sequuntur, è causa supra adducta, quod effectus justificationis non possit esse causa justificationis. (2) Illa opera excluduntur à justificatione reliquorum hominum, quæ excludit Apostolus ab actu justificationis Abrahami. Atqui Apostolus à justificatione Abrahami omnia excludit opera, etiam illa, quæ in medio pietatis cursu præstitit; de ipso enim, non ut primum ex Idololatriæ Ur Chædæorum evocato, sed jam diu converso, pronunciat, quod fide & non ex operum merito sit justificatus; imo dicit: Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum, Rom. 4. E. etiam opera, post conversionem facta, à justificatione nostra excluduntur.

§. 8. Tertium argumentum, pro negativa nostra sententia, desumimus, à gratiæ & meriti oppositione. h. m. Aut ex gratia justificamur, aut ex operum merito. Atqui justificamur è sola Dei gratia, E. non ex operum merito. Connexio Majoris est manifesta, quia Scriptura in justificatione immediate opponit gratiam, & operum meritum; sic enim Apostolus, Rom. II. v. 6. Quod si per gratiam, jam non ex operibus, alioquin gratia, non esset gratia. Huc pertinent verba Augustini, Patris seculorum omnium augustissimi, in Psal. 144. Tom. 8. col. 1671. Si meritis aliquid redditum est, merces est, non gratia. Minor patet, ex Rom. 3. v. 24. c. II. v. 6. Eph. 2. v. 8. 2. Tim. I. v. 9. in quibus locis justificatio in solidum Dei gratiæ adscribitur, & quidem ita, ut simul excludatur omne id, quod in nobis est, ut illa sola sit, quæ nos justificet. Intelligit autem Scriptura per gratiam Dei, in hoc articulo, non gratuitum aliquod donum, quod nobis in prima justificatione infundatur, ut per id nobis inhærens justificemur, sed gratuitum Dei favorem, misericordiam ac dilectionem, quod patet (a) è Synonymia: Joh. 3. v. 16. causæ justificationis nostræ è professo recensentur, & quidem tres duntaxat, nempe dilectio Dei, mors Christi & fides, ad quarum unam, gratia Dei necessariò est referenda, quia hæc, asserente Paulo, est justificationis causa. Jam verò ad secundam referri non potest, ut per se liquet, neque ad tertiam, siquidem Pontificii, per gratiam Dei, quando gratuitum donum sive virtutem infusam significat, præcipuè charitatem, quæ in homine est, similiter & spem &c. intelligunt. Fides autem nec charitas est, nec spes, sed potius causa harum. E. necessario ad primam causam, nempe ad dilectionem Dei referenda erit, aut justificationis causa non erit. Per dilectionem autem intelligitur dilectio Dei,
E quæ

quæ nos diligit, 1. Joh. 4. v. 10. Clarius hoc patet (b) ex oppositione, quæ extat loc. cit. Rom. 11. v. 9. ubi gratia & meritum opponuntur; Hinc ita: Oppositorum non est eadem, sed opposita significatio, alias non essent opposita. Atqui gratia Dei, per quam justificari dicimur, & B. O. in hac quæstione de justificatione hominis peccatoris coram Deo, sunt opposita. E. etiam eorundem opposita erit significatio, si opposita significatio, sequitur, quod Gratia Dei, per quam justificamur, non possit denotare qualitatem, gratis infusam, siquidem, ejusmodi qualitas est bonum Opus. Hæc ideo adduxi, ut pateat, quam frivola sit Pontificiorum ad allatum argumentum exceptio, quando dicunt: Recte opponi ab Apostolo Dei gratiam & opera nostra, cum illam ipsam gratiam, per quam formaliter justi simus, non mereamur à Deo, sed illa nobis e gratuita Dei benignitate obtingat. Nec officit nobis, quem objiciunt Pontificii, locus Rom. 5. v. 5. ubi charitas Dei dicitur diffusa in cordibus nostris. In hoc enim loco, charitas Dei non passiva, sed activa intelligitur, ita ut notet dilectionem Dei, quæ ipse nos diligit, sicuti alibi etiam accipitur, Ephes 2. v. 4. c. 3. v. 19. Coloss. 1. v. 13. 1. Joh. 4. v. 12. hæc certe non inhæret nobis, sed est extra nos in Deo. Hanc explicationem confirmat (α) versus seq. 8., in quo Apostolus hanc charitatem Dei nominat ἀγάπην ἣν ἔχει εἰς ἡμᾶς, quæ ipse dilexit nos: (β) scopus Apostoli, qui in eo est, ut ostendat charitatem, nobis esse instar basis ac fundamenti, in quo gloriationis nostræ materiam fundare debeamus. Charitas autem illa, quæ nobis inhæret, non potest esse fundamentum gloriationis, ex hac ratione, quia illud fundamentum debet esse perfectum, quod verò in nobis inhæret imperfectum est, & juxta Apostolum 1. Cor. 1. v. 31. nihil nobis inhæret, de quo coram Deo gloriari possimus. Consentiant nobiscum è Patribus, Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus & alii; è Pontificiis Cajetanus. Dicitur autem hæc charitas diffusa in cordibus nostris, ad efficacitem agentis potenter in corda nostra, simulque nobilissimæ gratiæ effectus, qui in sanctificatione & renovatione mentis nostræ consistunt, & qui hominem jam tum justificatum sequuntur, significanda.

§. 9. Quartum argumentum pro sententia nostra negativa desumimus à gloriationis omnis exclusione, ejusque severa prohibitione, h. m. Quæcunque justificatio omnem excludit gloriationem, illa non dependet ab operibus, tanquam causa meritoria. Atqui justificatio
homi-

hominis peccatoris omnem excludit gloriationem. **E.** Justificatio hominis peccatoris coram Deo non dependet ab operibus tanquam causa meritoria. Connexio Majoris est manifesta: Si enim ex opere tanquam à causa meritoria nostra penderet justificatio, utique homo de iis posset gloriari, sicut mercenarius de mercede laboribus suis promerita. Minor verò est ipsius Apostoli loc. cit. Ephes. c. 2. v. 8. Apostolus opera nostra excludens à justificatione subjungit rationem, ne scilicet quis gloriatur. Nec quicquam ad rem facit exceptio Adversariorum dicentium, ab Apostolo non omnem gloriationem, sed illam solum, quæ oritur ex operibus liberi Arbitrii, excludi, non vero eam, quæ oritur ex operibus per gratiam Spir. S. factis & Christi sanguine tinctis, quod probare fatagunt e ex verbis Apostoli; quando addit: Ubi est tuo gloriatio, quia in te gloriaris. Nam 1. in contextu Græco vox **Tua** non reperitur. 2. illa etiam gloriatio, quæ oritur ex operibus in fide factis excluditur, si quis per ac propter ea justificatum se esse gloriari velit, ut patet è coll. loc. Rom. 3. v. 27. cap. 4. v. 2. Eph. 2. v. 9. Quod enim indefinite dixerat Apostolus exclusam esse glorificationem, id Rom. 4. v. 2. transfert ad Abrahamum negans eundem in medio pietatis cursu gloriationem habere justitiæ operum coram Deo. In solo igitur Domino non in nobis & nostris operibus gloriari jubemur, Jer. 9. v. 24. 2. Cor. 1. v. 17. Dan. 9. v. 7. 8. Luc. 7. v. 10. B. Gerhardus igitur distinguendum putat, inter gloriationem bonæ conscientiæ, quam concedit Apostolus & nos non improbamus, & inter gloriationem justitiæ operum, quam omnibus adimimus & eandem coram Deo peccatum esse, cum Scriptura statuimus, 1. Cor. 4. v. 4.

§. 10. Quintum argumentum hoc est: Opera sunt ex lege Justificatio non est ex lege, **E.** justificatio non est operum, sive non pendet ex operibus. Major clara est. Minorem probo inde quia nemo hominum legem perfecte potest implere, sed etiam Renati in multis prævaricatores existunt. Lex verò non pronunciat hominem coram Deo justum ad vitam æternam, propter particulam aliquam, aut aliqualem obedientiam & conformitatem: sed requirit, ut homo secundum omnes sui partes, & secundum omnes singularum partium actiones, normæ justitiæ in Deo, quæ in lege patefacta est respondeat, & quidem exactè respondeat ea puritate perfectione & integritate, sicut lex præscribit & flagitat, Ut egregie loquitur B. Chemnitius P. 1. Exaw. Conc.

Trid. p. 136. b. Hinc si quis totam legem servaverit offendat autem in uno Deuse est, & manet in omnium.

§. II. Sextum argumentum desumo à justificationis in solum Christum acquisitione h. m. Aut promeruit nobis Christus justificationem, aut non promeruit. Si promeruit, quid nostro opus est merito. Si non promeruit, quare mortuus est? quare appellatur *אֲדָרְכָהּ* Jerem. 23, quare dicitur pro peccatis totius mundi, 1. Joh. 2. quare ipse dicit? Ego, Ego ipse sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, Esai. 43. v. 25. Hisce argumentis & septimum potest addi a justificationis conditione, quod legitur apud B. Meisnerum Antropol. S. Decad. 3. Disput. 24. §. 62. p. m. 465. h. m. Ubi est misericordia ibi locum non habet meritum operum & dignitas, sed sola potius miseria. Ratio: quia misericordia est affectus cordis ob miseriam. Atqui Deus servat nos sua misericordiâ Tit. 3. v. 5. E. hic non locum habet operum nostrorum meritum. Addo ego & hoc, quod per operum meritum gratia tollatur & fontes vivarum consolationum occludantur, ita ut homo in agone mortis ad tribunal justitiæ divinæ citatus de operum suorum merito desperare necessum habeat, nisi illo misso, Christi meritum omnis consolationis in omnibus calamitatibus fontem, fide apprehendat, ejusque mortis efficaciam se erigat. Testatur & confirmat hoc praxis apud ipsos etiam Pontificios, qui morti vicinos, deque peccatis suis agitados, ipsi eos tandem in Christum seposito operum merito credere jubent, ut constat de Jesuita Georgio Scherero. Viderint ergo Pontificii, quomodo in extremo judicio, ubi nulla sunt effugia, & quibus rationibus defendere possint, hanc vivæ consolationis ereptionem. Manet E. quod dicit Augustinus Serm. 15. de verbis Apostoli: Domine prorsus gratis das, gratis salvas; qui nihil invenis unde salves. Et tantum de Sectione secunda.

SECTIO III.

continens

ΑΝΤΙΤΕΣΙΝ & ΔΙΑΛΥΣΙΝ Object. Pontificiorum.

§. I.

Quæ hic sententia sit Pontificiorum, ex iis quæ supra Sect. I. dicta sunt, cuius facile constabit. Nihil jam amplius restat, quam ut ea, quæ

quæ Pontificii objiciunt, discutiamus. Et quidem pro justificatione, seu dispositione ad justificationem objiciunt (I) locum Prov. 10. v. 12. ubi hæc leguntur verba: *charitas operit delicta.* E quibus verbis Pontificii colligunt, Deum intuitu charitatis homini peccata remittere. Verùm locum hunc impertinenter allegari, quis est qui non videat? Contextus enim oppido ostendit, ibi non esse sermonem de justificatione coram Deo, sed de mutua offensorum dimissione, quæ est inter homines. Opponit enim Salomon odium & charitatem, & utrumq; describit à suis effectis, quod odium rixas suscitet, è contra charitas universa delicta operiat, cum veræ dilectionis natura sit, proximi errata non producere in lucem, sed potius dissimulare & tegere (nisi inevitabilis aliqua necessitas contrarium jubeat. Hanc explicationem approbat ipse D. Athanasius T. II. Oper. in Synops. S. Scripturæ f. m. 90. lit. D. verba hæc ita reddens: *μισος ἐγείρει νίκος πάντα ἡ δὲ τῶν μὴ φιλονεικῶντων καὶ λήπτει φιλία* h. e. odium excitat victoria, omnes vero non contentiosos, obtegit charitas. Et statim explicationis loco addit: *ὁ γὰρ φίλος ἀπὸ μίσους ἔχει τὴν ἀρχὴν τῆς πειραστικῆς κακίας καὶ ἐκ ἀντιθέτου ἀγάπῃ τὸν φιλονεικῶντα πάλιν δὲ ἐκ τῆς ἐναντίας, ὁ μὴ φιλονεικῶν γνώσεσθαι ἀγάπης ἔχει* h. e. contentiosus enim ab odio habet initium hujus malitiæ, & nemo dixerit contentiosum amore prosequendum. Rursus è contrario non contentiosus indicium dilectionis habet. Confirmat hanc expositionem Athanasii Petrus 1. Epist. 4. v. 8. ubi verba Salomonis repetens, ait: Ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum Conf. verba Pauli 1. Cor. 13.

§. 2. Objiciunt II. Pontificii exemplum mulieris cujusdam peccatricis, de qua Salvator ait: remissa ei esse multa peccata (addita ratione) quia multum dilexit Luc. 7. v. 43. Resp. negando dilectionem fuisse causam, quæ moverit Deum ad remissionem peccatorum à muliere hac commissorum. Nam particula *ὅτι* non semper sumitur *αιτιολογικῶς*, sive causaliter, ut veram rei causam significet, sed etiam quandoque *συλλογιστικῶς* s. illativè, ita ut rationem tantum & probationem ejus, quod dicitur, exponat. Et in hoc posteriori significato etiam hoc in loco adhibetur. Argumentatur enim in eodem Christus, non à causa ad effectum, sed ab effectu potius ad causam, id quod parabola à Christo allata evincit; in ea enim proponit Christus duos debitores, quibus cre-

ditor debitum donavit, uni denarios quingentos, alteri quinquaginta.
Addit autem Christus, quod ille, qui magis fuit creditori obærat, ma-
gis etiam creditorem suum dilexerit. eò quod ille plura debita illi con-
donasset; alter verò, cui minus debitorum erat donatum, minus etiam
dilexerit. Id quod demum Christus ad mulierem hanc, utpote multis
oneratam peccatis v. 40. accommodat dicens: Remissa sunt ei multa
peccata, quia multum dilexit, quasi diceret: quoniam ei multa pecca-
ta sunt remissa, ideo nunc multum diligit. 2. explicationem Papisticam
de justificatione per charitatem hoc in loco obtinere neutiquam posse,
ex eo patet, quod Christus justificationem hujus mulieris, fidei ejusdem
adscribit, inquam: Fides tua salvam te fecit. Jam verò fides & opera,
quæ à charitate proficiscuntur se invicem excludunt in Articulo de ju-
stificatione, ut supra fuit ostensum. Conf. B. Jacob. Martini T. I. Disp.
in A. C. Coll. 2. disput. 13. §. 44. seqq. Osiandr. Paraphr. Bibl. ad h. l.

§. 3. Objiciunt III. Virtus maxima, sine dubio, justificat, Caritas est
virtus maxima. E. Caritas justificat. Resp. I. negando Majorem; illa
enim (α) falsa nititur hypothesi nos per virtutes disponi ad justificatio-
nem, adeoq; committitur in ea petitio principii (β) in ea concedunt
Pontificii consentaneum & p̄obabile tantum esse. præcipuam virtutem
justificare, ex quo colligimus, eos nullum assertionis hujus habere fun-
damentum; Quapropter melius nobiscum agetur, qui credimus Scri-
pturæ S. asserenti, non maximam virtutem, sed fidem, cujus proprium
est, Christum cum sub merito apprehendere, justificare. Minorem
quod attinet, illam probant Pontificii ex 1. Cor. 13. v. ult. ubi dicitur:
Nunc autem manent fides, spes, charitas tria hæc major autem horum
est charitas. Verum in hoc loco non agitur de dilectione aliqua Dei,
qua nos disponi asserunt Pontificii ad justificationem, sed de dilectione
proximi 2. dicitur hæc charitas major virtus, non ratione dignitatis, sic
enim multò præstantior est fides, quantò præstantius habet objectum,
nempe Christi meritum, sed (α) ratione nostræ cognitionis; Caritas
enim à nobis cognoscitur immediatè, fides autem mediate, mediante
charitate tanquam fructu veræ fidei. (β) ratione objecti: quia fructibus
suis sese diffundit ad plures, quam vel fides, vel spes, quæ fermè solis pro-
sunt possessoribus suis & solum Deum respiciunt; charitas autem quoq;
occupatur circa proximum suum (γ) ratione durationis, quia charitas
durabit in æternum fide, & spe abolitis. E. quibus manifestum est, neu-
tiqvam

tiqvam ex adductis inferri posse, charitatem justificare. Instant verò Pontificii Paulum, Apostolum alibi, nempe Coloss. 3. charitatem nominare vinculum perfectionis. Resp. Apostolus loco cit. non agit de justificatione, sed de pace, unitate & tranquillitate communi in Ecclesia conservanda; & vocat charitatem vinculum perfectionis, quia nexu charitatis Christianæ, simul omnes in unum quoddam integrum perfectumq; corpus colligantur, quodam ceu vinculo: quo rupto & excitatis dissensionibus corpus id non manet integrum, sed fit hiulcum, mutilum ac mancum. Nihil igitur è perfectionis voce, pro charitate justificante colligere possunt Pontificii.

§. 4. Objiciunt IV. Pontificii, pro tuendo operum, in Articulo de Justificatione, merito locum Dan. 4. p. 24. Ubi Daniel ad Regem Nabuchodonosorem, facta somnii explicatione, ait: Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua elemosynis redime, & iniquitates tuas, misericordiis pauperum, forsan ignoscet delictis tuis. E. dicunt Pontificii, Eleemosynæ merentur de condigno justificationem. Resp. (1) in contextu Ebræo est פָּרַק quod in potiori significato semper notat, non redimere, sed abrumpere, ut patet è Ps. 7. v. 3. Ps. 163. v. 24. Exod. 32. v. 2. 3. Thren. 5. 8. Et sic, in præsentis loco, abrumpere peccatum, erit remove illud, à peccando desistere. Nec est, ut Pontificii hic adeo urgeant significationē derivatorum פָּרַק s. Redemptor & פָּרַק Redemptio. Sæpissime enim contingit, ut vox longè aliam, imò sæpe contrariam significationem obtineat, quam quæ radicis est, adeoq; voces potius ex usu loqvendi æstimandæ veniunt. Ponamus licet, פָּרַק significationem nonnunquam habere רָם redimere, unde quæso probabunt. Adversarii, vocem hanc, hoc præcisè in loco, redemptionis significatum obtinere. (2) Consilium Danielis est de agenda pœnitentia, & aversione pœnarum Divinarum, non verò de modo expiationis peccatorum, ac si per elemosynas peccata expiari queant. Hoc enim vult Daniel: Crede, o Rex, Deum irasci peccatis, & placari justis i. e. credentibus. Justus enim ex fide vivit. Et hanc fidem veram esse, operibus ostende, & habebis remissionem peccatorum & Deum propitium. (3) alii dicunt, sollicitum tunc temporis, cum ipsi Daniel hoc daret consilium, Regem fuisse, propter somnii interpretationem, & ideo de fortunis suis omnibus deq; ipso regno periclitatum. Docere itaq; Prophetam Regem, eiq; consilium præbere, quæ ratione, imminentium pœnarum mitigationem consequi possit.

possit. Peccaverat, inquit, Rex tyrannide, quam in miseros exercuerat. Ideo ad clementiam & beneficentiam eum hortatur Daniel, & sic futurum promittit, ut mitigationem consequatur. Secundum hos igitur in h. l. non agitur de justificatione s. peccatorum remissione, sed poenarum mitigatione, per externam disciplinam, misericordiam nempe erga pauperes, & distributionem eleemosynarum, qua Deus adeo delectatur ut eam etiam hac in vita remunerari velit. Illustrant hoc, exemplo Achabi, qui hypocritica sua poenitentia, poenarum, quas illi Deus imputatus fuerat, mitigationem consecutus sit. 1. Reg. 21. Conf. Osiand. in Paraphr. Bibl. ad loc. Dan. cit. qui in hac est sententia. Addit D. Jacobus Heerbrandus in Compend. Theol. L. de B. O. p. m. 543. (4) & hoc: si peccata Eleemosynis redimuntur, Deus iniquus esset, damnans pauperes propter peccata, propterea, quod illis, non ut aliis divitias dederit, quibus & ipsi sua possent peccata redimere. In aliis locis eleemosynae, quibus ibidem salus & justificatio adscribi videtur, non considerantur formaliter & in se, sive in quantum sunt B. O. sed originaliter & principative, ratione fidei tanquam principii, sicq; non eleemosynis, quin potius fidei, per eas se exserenti accepta fertur. Vid. L. Reines. Dn. Patruus meus, omni observantiae cultu aetatem colendus Theol. Techn. p. 177.

§. 5. Objiciunt V. Pontificii locum Matth. 6. v. 14. seq. ubi dicit Servator: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester caelestis delicta vestra. Resp. Committunt Adversarii nostri Pontificii fallaciam secundum non causam ut causam; Christus siquidem in cit. loco condonationem injuriarum non constituit causam meritoriam remissionis peccatorum nostrorum, sed agens de privatis offensis, quas proximo condonare debemus, saltem declarat, quae nam sit nota remissionis nostrorum peccatorum, nempe haec, si & nos remittamus peccata peccantibus in nos. His igitur verbis Christus solum ostendit, qualiter subjectum, quaerens coram Deo peccatorum remissionem, debeat esse comparatum, quod scilicet debeat ab omni odio esse alienum, cum saltem remittentibus, peccata quoq; sua, a Deo, non tamen per ac propter remissionem, illam, remittantur.

§. 6. Objiciunt VI. Pontificii locum Rom. 2. v. 13. ubi haec leguntur verba. Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Resp. dictum hoc est legale, adeoq; secundum analogiam fidei explicandum. Loquitur igitur Apostolus non absolute, sed ex hypothesi, si nimirum quis esset qui perfecte legi satisfacere posset, tunc
cum

eum justificandum esse per legis opera. Locus igitur hic non offendit modum nostræ justificationis, quæ ratione, justitiam coram Deo valentem consequi valeamus, sed monstrat saltem, quid Deus à nobis jure exigat & quid nobis præstandum incumbat. Cum igitur talis τὰ νόμῳ ποιητής non reperiatur, frustra sane in operibus legis, utpote è quibus, ob imperfectionem, nulla justificatur caro, justificatio quæritur, ut clare testatur Apostolus Rom. 3.

§. 7. Objiciunt VII. exemplum Pinehas, quem ex operum merito justificatum jactitant, ex loco Ps. 106. p. 31. ubi dicitur, quod occisione adulterorū Deum placaverit, & cessaverit plaga, & hoc reputatum sit ei ad justitiam. Resp. Sermo hic nequaquam est de justitia personæ, ac si Pinehas per hoc factum justificationem meruerit, quippe jam tum in statu gratiæ erat constitutus, Deoq; reconciliatus, quod ipso hoc facto, è pio Zelo erga honorem Dei, profecto, satis luculenter demonstratur. Sed sermo est de justitia causæ, sive indicatur, quod hoc heroicum Pinehæ factum Deo placuerit, ita ut ei promissionem faceret, de summi sacerdotii dignitate & illi & posteris ejus conferenda, propterea quod abominabilem Dei contemptum heroico hoc ultus sit facto. Vid. Gerhardus L. de justif. Ponamus insuper, hic sermonem esse, de justitia personæ, tunc sane justificatio facto huic Heroico non tribuetur formaliter & propriè, sed μετὰ νόμῳ & improprie s. originaliter, quatenus originem suam habuit ex fide, & sic non operi, sed fidei, è qua opus proficiscitur, justificatio tribueretur.

§. 8. Objiciunt VIII. exemplum Abrahami, de quo affirmat Jacobus, quod fuerit ex operibus justificatus, offerens filium Jacob. 2. Verum R. Vera ratio, qua justificatus est Abraham, petenda est ex Paulo Apostolo, qui testatur, Abrahamum fide esse justificatum, & fidem ejus imputatam ei esse ad justitiam Rom. 4. Neq; ulla inter Paulum & Jacobum hic est contradictio, cum diversus utriusq; sit scopus, diversaq; materia, de quâ agunt; Paulus enim Apostolus formaliter considerat justificationem Abrahami, & declarat, quâ ratione ille coram Deo justificatus sit, eamq; soli adscribit fidei; Jacobus v: in eo est occupatus, ut ostendat, qua ratione Abraham, se justitiam coram Deo consecutum esse, declaraverit, nempe exercitio B. O. & præstita à Deo præcepta filii immolatione. Justificationis igitur vocabulum Paulus sumit strictè, pro absolutione à peccatis; Jacobus vero in sensu latiori, pro justitiæ declaratione; loquitur Paulus

lus de fide interna; Jacobus, de fide exserente se per charitatem, qui duo actus non sunt confundendi. Quapropter locus hic nihil infert contra nostram sententiam, quippe & nos largimur, hominem jam justificatum per exercitium B. O. declarare, aliisque demonstrare, se in gratia apud Deum constitutum, fideque justificatum, pacem habere cum Deo. vid. Chemnit. Exam. Conc. Tr. P. 1. f. m. 151. conf. Thaddæum Concil. Bibl. p. 313. Pontificii quidem, quando Paulum cum Jacobo conciliare laborant, multa conquirunt; nonnulli distinguunt inter justificationem primam & secundam, asserentes: Abrahamum fide & sine operibus juxta Paulum esse justificatum, justificatione prima, quam gratiæ infusionem designant. Ex operum merito verò justificatum esse, justificatione secundam. Vid. Hochstratus in Epit. de fide & operibus c. 7. Alii dicunt, loqui Paulum de operibus Abrahami ante conversionem; Jacobum de operibus post conversionem. Sed hæc conciliandi rationes locum habere non posse, è superioribus constat. Paulus enim agit de Abrahamo jam plenariè justificato & à justificatione ejus etiam ea excludit opera, quæ in medio pietatis eursu perfecit.

§. 9. Objiciunt IX. Si sola fide, remoto O. B. merito, justificamur, sequitur, quod re justificemur mortua. Atqui posterius est absurdum. E. & prius. Consequentiam probant hoc modo: Fides sine operibus justificat. Fides sine operibus est res mortua. E. res mortua justificat. R. N. C. Probationem quod attinet, in ea committitur ab adversariis, fallacia compositionis & divisionis; τ enim sine operibus, referunt ad subjectum, quod ad prædicatum referendum erat h. m. Fides, justificat sine operibus; Major autem Pontificiorum in probatione æquipollet huic: Fides sine operibus existens justificat, quod nemo nostrum unquam asseruit, quin potius cum Jacobo docemus, fidem illam, quæ est sine operibus, esse sicut cadaver, & fidei nomine indignam. Dicunt Pontificii: si ergo fides & opera semper sunt conjuncta & simul, sequitur, quod simul cum fide justificationem ingrediuntur, Resp. Distinguendum est inter B. O. præsentiam seu ad essentiam, & inter eorundem causalem influxum seu efficaciam. Etsi enim fides semper habeat præsentiam B. O. & ita B. O. cum fide simul sint tempore, statim enim fides efficax est per charitatem, ordinis tamen ratione fides prior est B. O. quia ex fide tanquam ex causa B. O. promanant. Et hinc B. O. etsi in actu justificationis fidei sint præsentia, non statim ut causa ipsam ingrediuntur justificationem; non enim ideo
fidei

fidei sunt presentia, ut simul cum ea justificent, sed ideo, ut exterius fides interior declaratur, & per effectus in hominum cognitionem veniat. Nequaquam enim, Bellarmino l. 2. de justif. c. 4. concedimus, opera esse ipsius fidei animam & vitam, quod probare conatur ex c. 2. Jacobi. Jacobus siquidem hoc saltem asserit, opera esse signa vitæ spiritualis, sc. fidei non v. ipsius animam vel vitam, sicuti membrum, absq; motione, mortuum est, neq; tamen motio est membri forma sive anima sentiens, sed tantum signum à posteriori. A testificatione igitur de justificatione, ad efficientiam justificationis nulla est consequentia.

CAPUT TERTIUM.

De

Electione ad vitam æternam, ipsaque
ejus consecutione, num ab operum merito
dependeant.

SECTIO I.

conticens

Terminorum evolutionem, statusque Controversia formationem.

§. 1.

Sermo hic est de operibus, quæ fiunt ab hominibus in gratia Dei per justificationem constitutis. Quamquam enim Scholastici Doctores, ut Durandus (qui nimis duriter sæpe de articulis fidei est locutus) Biel & alii, Electionem factam esse asserant, ob prævisum bonum liberi Arbitrii viriumq; naturalium usum, ob quem Deus homines ad vitam æternam elegerit, alii tamen & plerique inter Pontificios, qui saniores videri volunt, asserunt, Deum saltem ex eorum operum, quæ à Renatis, cooperante Spiritu S. perficiuntur, prævisione, decretum fecisse, de quorundam hominum in tempore futura salvatione.

§. 2. Objectum, sive id, quod opera promereri in hoc capite à Pontificiis censentur, est ipsa vita æterna, cujus gloria efferri non potest, cum nec oculus viderit, nec auris audiverit, nec in cor hominis descenderit, quod Deus præparavit se diligentibus 2. Thess. 4. 1. Cor. 2. v. 9. hinc Paulus in tertium cœlum raptus, gloriam cœlestem ineffabilem prorsus esse pronuncians, dicit, se audivisse ἀπὸ τοῦ ᾧματὸς. Manifestum autem hoc est,

F 2

esse

esse vitam æternam felicissimum statum, sortemque beatam, qua piorum animæ, tum à corporibus separatae, tum iisdem in resurrectione iterum unitæ in cœlesti gloria vivunt, eaq; in æternum fruuntur. Huic opponitur mors æterna Joh. 6. v. 30. c. 8. v. 51. c. 11. v. 25. hæc autem mors vocatur fons tormentorum, stagnus ignis, & sulphuris ardentis Apoc. 6.

§. 3. Causa efficiens vitæ æternæ, est tota SS. Trinitas, Pater, Filius & Spiritus S. quod utrinque est in concessio. Docet id Scriptura expresse Luc. 12. v. 32. Rom. 6. v. 23. Eph. 2. v. 8. ipse enim Deus solus est Salvator, Es. 43. v. 11. & Deus justus & salvans non est præter eum, Es. 45. v. 21. Conf. Hof. 13, 5. ipse præparavit regnum electis à mundi primordio, Matth. 25. v. 34. antequam jacta essent mundi fundamenta Eph. 4. hinc ipse solus, nobis vitam promittit æternam 1. Joh. 2. & eam quoque dat suo tempore credentibus.

§. 4. Consideratur autem vita æterna, si homines respiciamus, dupliciter, vel in decreto divino, sive quatenus Deus decrevit, eandem hominibus quibusdam (quos nempe meritum Christi fide apprehensuros, inque fide hæc finaliter permansuros, prævidit) in tempore conferre: Vel in executione, seu quatenus Deus eos, quos salvare decrevit, actu salvat, Non enim Deus nude quosdam homines salvare decrevit, neq; hoc decretum est res de solo titulo, sed sicut Deus faciendo hoc decretum certas respexit causas, ita etiam illud ipsum decretum hominibus illis, quos salvare decrevit, speciatim applicat & (α) quidem per verbum, quod organon est divinæ ejus gratiæ, beneficia merito Christi parta, ad quæ ipsa etiam spectat vita æterna, offert, Spiritum S. iis donat, fidem accendit, eandemq; per usum Sacramentorum confirmat, (β) animas priorum suo tempore à corpore solutas in manus suas suscipit, eas per angelos suos in sinum Abrahæ deportando, quas in die resurrectionis cum corporibus redunit, & ita participes reddit plenariæ gloriæ æternæ.

§. 5. Permovit autem Deum, tam ad decretum, quam ejus executionem, salvandorum respectu, perfectissimum Christi Mediatoris meritum, h. e. obedientia ejus tam activa, quam passiva, quam nonnulli dicunt rationem nostræ Electionis impulsivam, quam vocant, rationem à priori, cujus intuitu, absq; tamen sui motione & sine actu elicitio Deus decreverit quodeunq; voluit, nempe homines salvare. Hanc distinguunt à causa impulsiva proprie dicta, quæ vere causatur actum volitionis seu decreti, movendo & impellendo voluntatem ad eum eliciendum, & hanc in
Deo

Deo ut Ente simplicissimo neutiquam ajunt obtinere posse. Vid. Reines, Theol. Techn. L. XXIV. th. 2. p. 190. Fuit igitur meritum Christi ratio impulsiva principalis nostræ Electionis, & adhuc est actualis salvationis uti patet è Joh. 3. v. 13. c. 14. v. 2. Act. 4. v. 12. Rom. 6. v. 23. Ratio impulsiva instrumentalis fuit fides in hominibus prævisa, non quidem quatenus in prædicamento qualitatis, sed relationis s. prout reflexa in Christi meritum, fuit considerata. Probatum hoc (α) è locis Scripturæ Joh. 6. v. 40. 2. Thef. 2. v. 13. Jacob. 2. v. 5. 1. Cor. 1. v. 21. &c. (β) è regula Theologorum: Meritum Christi (quod est ratio impulsiva principalis,) ut præstitum nihil prodest, sed ut vera fide applicatum.

§. 6. Contra hanc rationem Electionis impulsivam in arenam olim descendit, Pelagius Monachus Britannus, vafri ingenii & versutissimus homo, & in ejus locum substituit meritum operum, è liberi arbitrii viribus profectorum. Seculo enim V. à Christo nato hic homo hunc pestilentissimum errorem in orbem Christianum sparsit: hominem, hâc in vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam justitiæ perfectionem, sine adjutorio gratiæ Salvatoris per solum liberæ, voluntatis arbitrium, posse pervenire, ut etiam non sit necessarium dicere: dimitte nobis debita nostra: hinc asseruit, Deum cum decretum de quibusdam hominibus in tempore salvandis faceret, respexisse bonum liberi arbitrii viriumque naturalium usum, & ubi eum deprehenderit, constituisse, hominem illum salvare. Qui error tanquam pestilentissimus in Synodo Milevitana habita A. C. 402. Coss. Arcadio & Honorio quinto, fuit damnatus. Vid. Gesnerus l. 2. de Concil. p. m. 203. seqq. Præfuit in hac Synodo Augustinus, qui lib. 2. de prædestin. Sanctorum c. 18. T. VII. op. col. 1255. de Pelagiano hoc dogmate scribit: Præsciebat ergo, ait Pelagius, qui futuri essent Sancti & immaculati, per liberæ voluntatis arbitrium, & ideò eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, quâ tales futuros esse præscivit, elegit. Elegit E. inquit, antequam essent, prædestinans filios, quos futuros Sanctos immaculatosque præscivit; utique ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse prævidit. Hunc pestilentissimum errorem ab orco, quod ajunt, revocarunt, eumque plenis velis in Ecclesiæ proscenium reduxerunt Scholastici. Pontificii hodierni, saniores videri cupientes, asserunt, Deum merito operum, non è liberi arbitrii, sed per Spiritum S. concessis viribus profectorum ad Electionem ab æterno factam esse permotum, Electosque si in statu gratiæ discesserint, ipsam actualem vitæ æter-

ad consecutionem verè promeruisse censendos esse. Vid. Concil. Trid. Sess. 4. Bellarminus quidem lib. 2. de gratia & libero Arbitr. c. 10. dissentire videtur à Sociis, dum citato loco totus in eo est, ut probet, nullam Electionis causam esse in nobis. Sed transit ad castra Calvinianorum, & electionem sumit, pro nuda intentione dandi vitam æternam, cum tamen Scriptura hanc voluntatem Dei ab ipsa electione distinguat, dum dicit, Deum prædestinasse nos; secundum propositum voluntatis suæ Eph. 1. 5. 9 II. Rom. 6. v. 28. Fatemur equidem, esse meram & absolutam Dei gratiam, quod ab æterno decreverit homines salvare, interim tamen hoc propositum Dei solum Scriptura nusquam vocat electionem, sed dicit nos esse electos in Christo, Electionem factam κατὰ πρόγνωσιν: unde apparet, electionis actu τῆς ἐν μέσσοις, & præscientiam fidei in Christum includi.

§. 7. Est porro gloria vitæ æternæ vel objectiva, vel formalis. Illa est ipse Deus, hæc verò est clara & intuitiva Dei visio ejusq; fruitio, cū ineffabili gaudio, gloria ac lætitia conjuncta. Hæc certos admittit gradus, teste Scriptura: Sicut enim stella differt à stella in gloria, ita erit & resurrectio mortuorum I. Cor. 15. v. 41. conf. Dan. 12. v. 3. Matth. 19. v. 29. In quibus autem præmiis ac bonis diversitas sit futura, non potest dici & determinari, sufficit nobis quod rem sciamus, utut modum rei ignoremus. In præsentia materia non quæritur de gloria vitæ æternæ graduali, num scilicet Deus, ibi respectum quendam habeat ad opera nostra, nam & nos concedimus, quod Deus secundum mensuram passionum, gloriæ quoq; gradus distribuat, non tamen ex debito, sed ex mera gratia, non secundum meritum operum, sed secundum beneplacitum suum, non per & propter opera, sed propter promissionem suam, quæ non est frustranea.

§. 8. Duo ergo sunt, ut breviter repetam, quæ hic inter nos & Pontificios in controversiam veniunt (1.) de Electionis decreto, h. e. de illo decreto, quo Deus, secundum propositum voluntatis suæ, nonnullos ab æterno salvare decrevit: de hoc quæritur, num dependeat ex præviso operum merito, sive num prævisio meriti operum ab æterno facta Deum permoverit ad decretum hoc, de salvatione quorundam hominum faciendum (2) de executione hujus decreti, sive de actuali salvatione: Num scilicet, homines ab æterno per gratiam Electi, vitam æternam actu promereantur, eamq; tanquam debitum laboribus suis præmiium obtineant

ant. Pontificii utrumq; adfirmant, nos utrumq; constanter, non sicul-
neis nisi fundamentis, negamus.

SECTIO II.

De

Vera sententia cum probationibus.

§. 1. Nostra eaq; orthodoxa sententia est. nullum hoc quoq; in capite
locum habere posse B. O. nostrorum meritum, Deumq; faciendo decre-
tum, de quibusdam hominibus in tempore salvandis, ad decretum hoc
nostris meritis neutiquam fuisse permotum, sed solum Christi. meritum
fide vera finaliter apprehensum, in præscientia sua respexisse; & hinc do-
cemus, Renatos & iustificatos, operibus suis, vitam sibi æternam pro-
mereri non posse, ob rationes sequentes pondere sane gravissimas.

§. 2. Primum quidem, nos propter meritum operum ad vitam æternā
electos non esse, probo [1] è decreti hujus de salvatione quorundam
hominum executione h. m. Quo modo Deus homines actu salvat, eodem
modo eos aliquando salvare ab æterno decrevit; Atqui Deus homines
sine B. O. merito actu salvat. E. Deus eosdem sine merito B. O. salvare
ab æterno decrevit, & per consequens merito B. O. ad decretum hoc fa-
ciendum non fuit permotus. Majorem nemo potest negare, quia de-
cretum & executio ejusdem decreti sibi exactissime respondent, adeoq;
iisdem è causis procedunt, quod satis manifestum est ex ipsa Scriptura S.
Ita enim Paulus Rom. 8 v. 30. ordinem Electionis nostræ recensens, ait :
quos præscivit, illos etiam prædestinavit conformes fieri imagini filii
sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus : quos autem prædestina-
vit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos a. justificavit,
illos & glorificavit. Eph. 1. v. 4. benedixit nos in omni benedictione spi-
rituali in cœlestibus in Christo, *καθὼς ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ* SICUT ele-
git nos in ipso. 2. Trim. 1. v. 9. Liberavit & vocavit, nos secundum pro-
positum & gratiam, quæ data est nobis ante tempora secularia. Vide hoc
latius deductum à B. Joh. Musæo in aureo Tract. de æterno Elect. decreto,
Heinio Marpurgensi Theologo opposito, Disput. pr. Minorem quod at-
tinet illa manifesta est ex Rom. 6. v. 23. alijsq; Scripturæ, locis, de quibus
infra.

§. 3. II. argumentum desumo, è decreti conditione ; ita argumentor:
Quodcunq; decretum factum est (1) gratis (2) ante tempora secularia,
antequam (3) quicquam boni vel mali fecissemus, illud non dependet ab
operum

operum merito. Atqui decretum Electionis factum est (ω) gratis (β) ante tempora secularia, antequam (γ) quicquam boni vel mali fecissemus. E. Consequentiam, quoad prius membrum, probō hoc modo: Quodcumq; est ex gratia s. gratis datur, illud non est ex merito O.B. Atqui Electionis decretum factum est ex gratia & gratis. E. non ex merito O.B. Major constat è Rom. 6. p. 11. ubi Apostolus dicit: si ex operibus, jam non ex gratia, alioquin gratia non esset gratia. Minoris veritatem fatetur ipse Bellarminus l. 2. de grat. c. 10. eamq; ipse probat ex Luc. 2. v. 32 Joh. 15. v. 16. Eph. 1. v. 4. 5. Alterum membrum sic ostendo: Electio est facta ante tempora secularia. Opera nostra non fuerunt ante tempora secularia. E. opera nostra non possunt esse causa Electionis, ob quam, seu meritoria. Consequenria est manifesta: omne enim meritum natura est prius decreto, cuius est meritum. Major patet Eph. 4. Minor non potest negari, nondum enim extitimus, cum Deus decretum faceret, adeoq; nil quicquam boni facere potuimus. Dicitis: opera nostra actu quidem non extitisse, extitisse tamen in prævisione Dei, sive, quatenus Deus ea aliquando secutura prævidit. Resp. Hoc nobis non obstat; ex prævisione enim Dei opera non sortiuntur vim merendi vitam æternam; Si enim hoc, absurde statuendum esset letiam mala opera mereri Electionem ad vitam æternam, cum Deus ea æque ac bona præviderit. Proinde manet, non entis nullas esse affectiones, & opera aliqua ante sui existentiam nil quicquam promereri posse. Dicitis: Sic neq; Christi meritum erit causa Electionis nostræ meritoria, cum id quoq; in tempore demum sit præstitum, R. Negando Consequentiam. Diversa enim est ratio, ut ut enim meritum Christi ut præstitum secutum adeoq; posterius fuerit decreto Electionis, præcessit tamen illud in decreto divino; Deus enim prius decrevit, Filium suum ut Redemptorem mundo mittere, & in mortem tradere, antequam decerneret, homines nonnullos in tempore salvare. Hinc testatur Scriptura, quod Christi meritum valeat antrosum & retrosum, & quod agnus Dei occisus sit ab origine mundi, virtute & efficacia, non actu Act. 17. De operibus autem nostris id asseri neutiquam potest, quod illa meriti vim ante sui actualem existentiam obtineant, cum ipsa Scriptura S. ipsis etiam in actu jam positis omnem merendi vim deneget. Tertium quoq; membrum declaratur hoc modo: Si tunc sumus Electi, cum nihil boni vel mali fecissemus, sequitur, quod Deus nihil in nobis invenirit, quod eum ad nostram Electionem movere potuerit. Atqui verum

rum est Antecedens E. & Consequens. Antecedens patet (1) e Rom. 9. v. 11. ubi in terminis legitur (2) ex Eph. 1. v. 4. ubi electi dicimur in Christo h. e. propter meritum Christi fide apprehensum. Si igitur Deus Christi merito permotus est ad nostram electionem, utiq; nihil fuit in nobis ipsis, quod ipsum ad electionem nostram movere potuisset. Si enim hoc, ad quid opus fuisset Christi merito.

§. 4. Tertium argumentum hoc est: quodcumque est finis Electionis, illud causa Electionis meritoria esse nequit. Atqui opera bona sunt finis Electionis E. opera bona causa Electionis meritoria esse nequeunt. Major patet, quia finis est causa externa, ad eam non ingreditur rei actum. Minorem probo ex Eph. 1. p. 5. ubi Paulus ait: Elegit nos in Christo, ut essemus Sancti & irreprehensibiles coram ipso in charitate. Si ergo sumus electi, ut essemus Sancti, non sumus electi, quia tales fuimus. Dicis: si hoc sequitur; etiam fides ab Electione erit excludenda, cum simus ad fidem electi; fides quoque est effectus Electionis E. non est causa Electionis. Resp. (1.) negando quod simus electi ad fidem; asserit enim Scriptura, nos electos esse, ad bona opera Eph. 1. p. 5. per fidem Gal. 3. p. 26. (2.) non sequitur: si bona opera sunt posteriora Electione E. & fides. Longe enim dispar est ratio, bona opera siquidem sunt effectus, fides verò causa Electionis. Neque nobis obstat Lutheri autoritas, qui in præfat. in epistolam ad Romanos, Electionem dixit fontem & causam fidei, fidem verò ejusdem effectum. Loquitur enim ibidem Lutherus *παχυλῶς*, & populariter, nam de Electione hoc dicit propter propositum, seu dispensationem prædestinationis, secundum quam facta est Electio. Propositum enim Dei, sive antecedens voluntas, est fons fidei, quia continet ea omnia, quæ Deus ad fidem, & salutem consequendam paravit. Vid. Menz. T. 1. Dispp. Giess. B. Hopffnerus System. Theol. Mh. Loc. XXXIX. de Elect. thes. 6. L. Reinesius in *Σωμαιοποιήσει* LL. Theol. Method. L. IX. §. 7. Obj. 2.

§. 5. Quartum argumentum desumo, è consequentis manifesta absurditate: h. m. Si causa Electionis meritoria sunt B. O.; hoc est, si propter B. O. meritum sumus electi, sequitur ex infantibus, ante annos discretionis morientibus, nullum esse electum. Consequens est absurdum E. & Antecedens. Consequentiam probo ex hypothese Pontificia, hoc modo: Ubi non est fundamentum Electionis, ibi nulla est Electio. Meritum operum est fundamentum Electionis E. ubi non est meritum operum

G

operum

operum, ibi non est Electio. Hoc jam applico ad infantes: Ubi non est meritum operum, ibi non est Electio. In infantibus, ante annos discretionis morientibus, non est meritum operum. E. in infantibus nulla est Electio, s. infantes non sunt electi. Major est Pontificiorum; Minorem vero nemo potest negare, cum prorsus nulla in infantibus dentur B. O., utpote ad quæ rationis usus requiritur; ratio quippe discrimen inter actiones bonas & malas constituit, ratio legem divinam omnium operum verè bonorum normam cognoscit, & quid faciendum, quidve fugiendum sit, dictat ex lege. Jam verò hic rationis usus nondum est in infantibus ante annos discretionis morientibus, quia propter nulla opera bona in lucem possunt proferre. Si nulla B. O. proferre possunt, nihil etiam poterunt mereri, præter quod meritum tamen, asserentibus Pontificiis, nemini obtingit salus. Dicitis: Deum operum meritum requirere in adultis tantum, infantes v. ante usum rationis, ad id, quod præstare nondum possunt, non teneri. Resp. Pontificii proprio se jugulant gladio: Si enim quibusdam, infantibus nempe, obtingit Electio, præter meritum, sequitur sane, quod operum meritum non sit fundamentum Electionis, sive etiam causa Deum ad Electionem nostram impellens. Fundamentum enim & ratio Electionis, ob quam semper maneat eadem, & diversitas subjectorum, non reddit diversitatem Electionis. Aut igitur Pontificii asserere debent, infantes ante discretionis, annos discedentes non esse Electos, sed reprobatos; aut concedere necessum habebunt, Electionem non pendere ex præviso O. B. merito, quodcumque asserant, causa cadunt.

§. 6. Neminem quoque Electorum ad vitam æternam, eandem, ut meritis O. B. partam, obtinere, è superioribus constare poterit, quibus tamen sequentes, sententiæ hujus negativæ, subjungo rationes, quarum I. desumpta est ex voce *χάρισμα* h. m. Quodcumque vocatur *χάρισμα* Ἰᾶ ἱεῦ donum Dei gratuitum, & quidem tale *χάρισμα*, quod opponitur *ὄψωνίω* h. e. stipendio & mercedi, quæ ex merito persolvitur, illud non acquiritur, per meritum operum. Atqui vita æterna vocatur & c. E. Consequentia firma est, quia quod merito obtinetur, non est donum, sed merces. Minor patet è Rom. 6. v. 23. ubi Apostolus expressis verbis inquit: τὰ ὄψωνια τῆς ἀμαρτίας θάνατος; τὸ δὲ χάρισμα Ἰᾶ ἱεῦ, ζωὴ αἰώνιου ἐν χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν: Stipendium peccati mors; Donum autem Dei, vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro!

§. 7.

§. 7. Alterum argumentum deduco è vocabulo hæreditatis h. m. Quodcunque ut hæreditatem consequimur, illud non consequimur per merita operum nostrorum. Atqui vitam æternam ut hæreditatem consequimur. E. Connexio Majoris est manifesta, quod enim titulo hæreditatis accipitur, id sine laboribus meritisque propriis accipitur, ex sola liberalitate ejus, qui aliquem hæredem constituit. Constat autem, hæreditatem propriè pertinere ad liberos, ex Gen. 31. v. 14. Matth. 21. v. 38. in quorum defectu, etiam servis solum tradebatur, qui instar filiorum habebantur. Quis autem quæso adfirmaret, liberos, hæreditatem promereri, cum illi per totam vitam parentibus ad quævis officiorum genera sint obstricti, tum jure naturæ, tum jure divino s. morali, jure civili & gentium. Accipitur autem hæreditas, ex more Hebræorum pro præmio seu retributione, piis à Deo gratuito collata, Psal. 61. v. 6. atque adeo hæreditas dicitur, quicquid alicui gratis cedit in possessionem, s. quod est singulare Dei donum & beneficium, pro manans ex gratuita ipsius benevolentia. Voluit autem Deus vitam æternam hæreditatis nomine notanter appellari, ut ostenderet, nos eam obtinere, non jure meriti, sed jure gratuitæ adoptionis, quæ nos Deus in filios per Christum adoptavit, Rom. 8. v. 17. Gal. 4. v. 7. Minorem probo ex Act. 20. v. 32. Eph. 1. v. 14. & cap. 5. v. 5. Coloss. 1. v. 12. & cap. 3. v. 24. Hebr. 9. v. 15. 1. Pet. 1. v. 4. in quibus locis vita æterna hæreditas appellatur. Hinc etiam pii dicuntur hæredes esse Dei, Rom. 8. v. 17. Gal. 4. v. 7. cohæredes Christi, Rom. 8. v. 17. Et notanter hæredes promissionis, sive secundum promissionem, Heb. 6. v. 17. Gal. 3. v. 29. quia non, datur ex merito, sed propter promissionem Dei, qui fallere nescit, quod Apostolus diserte indicat, quando Galat. 3. v. 18. inquit: Si ex lege h. e. ex operibus legis hæreditas, jam non ex promissione. Conf. B. Meisnerus P. II. Philos. sobr. Sect. 1. c. 1. q. 32. §. 3. p. 389. Ravanelius in Biblioth. S. P. 1. sub voc. hæreditas, f. m. 703. A.

§. 8. Quartum argumentum desumo è c. 2. Eph. v. 8. 9. Tit. 3. p. 5. in quibus locis, soli gratiæ Dei nostra salus vitæq; adeptio æternæ adscribitur, cum expressa operum oppositione & exclusione. Excipiunt quidem Pontificii, Apostolum loqui de salute inchoata, quæ in hac vita habetur per gratiam justificationis & renovationis, non de salute perfecta, quæ in cælis est reposita. (2) Apostolum his in locis non agere de operibus; quæ fidem & gratiam Dei præcedunt, quod pateat inde, quia opera illa fidei & gratiæ opponantur. Sed Resp. (1) Eadem gratia & eodem merito

rito salvamur, quæ vel quo justificamur; justificatio enim, per quam imago divina per lapsum amissa aliquantulum restauratur, est typus perfectissimæ restorationis & reparationis imaginis divinæ, in altera vita secutura, adeoq; si justificatio non dependet ex operum merito, neq; vita æterna, quæ salus patriæ à Pontificiis vocatur, ex O. B. merito pendebit. (2) verba Apostoli simpliciter ut jacent, sunt intelligenda, quibus omnia opera, sive ea ante, sive post justificationem facta, à merito salutis excludit. (3) locus ad Eph. 2. explicationem hanc plane non admittit; loquitur enim Apostolus de eorum operibus, qui cum aliquando mortui essent in peccatis, convivificati sunt in Christo, cujus gratia sunt salvati v. 5. (4) loquitur Apostolus de iis, quos conresuscitatos cum Christo Deus considerare fecit in cœlestibus cum Christo, & quidem idè fecit considerare, ut ostenderet, in seculis supervenientibus, abundantes gratiæ suæ divitias, in bonitate super eos in Christo Jesu. Qui verò sunt illi, nisi Renati, per fidem justificati, pacem habentes cum Deo. De his sane pronunciat, quod non tantum sine operibus justificati, sed ipsam etiam vitam æternam sint adepti, addit enim: Gratia salvati estis per fidem. (4) Tit. 3. opera quidem gratiam præcedentia à salute excluduntur, sed non hæc tantum; verum etiam sequentia, dicimur enim salvari Dei gratia tantum, non ex operibus. Conf. loca Psal. 103. p. 4. Rom. 6. p. 33. Rom. 4. p. 4.

SECTIO III.

continens

Διάλυσιν Objectionum Pontificiarum.

§. I.

Absoluta nunc vera & Orthodoxa sententia cum Probationibus, restat, ut ea, quæ in contrariam partem à Pontificiis proferuntur, videamus. Pro stabiliendo igitur præviso O. B. merito, à quo Electionis decretum dependere statuunt, objiciunt I. Quicquid in tempore Deus alicui confert ex meritis, id ab æterno ita conferre decrevit. At vitam æternam Deus hominibus in tempore confert ex meritis. E. iisdem vitam æternam ex meritis conferre decrevit. Sed negatur propositio Minor, uti ex superioribus constat; quomodo verò illam probent, ex seqq. patebit.

§. 2. Objiciunt (2) locum 2. Tim. 2. p. 21. ubi Apostolus, postquam decretum de Electione descripsisset, subjungit: Si quis ergo se emendaverit

verit ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonum paratum. E. quibus verbis colligunt Pontificii: aliquem seipsum emendando gratiam Electionis mereri, seqve participem facere posse decreti Electionis. Resp. Tò emendare h. l. non est seipsum per opera dignum reddere gratiæ Electionis, sed operationi divinæ non resistere. Præterea Apostolus occupatus est in eo, ut ostendat, quod ex vasis ignominia vasa gloria, per operationem & virtutem Dei fieri possint, hinc scribit: si quis emundaverit se ab istis: qui autem emundare debet seipsum, cum oportet prius fuisse vas ignominia. Hanc verò emundationem à se proficisci, Deus ipse testatur, promittens per Ezechielem aquas mundas. Ez. 36. interim nos mediis, quæ Deus salutis nostræ efficaciter operandæ destinavit, uti debemus, ne nobis ipsis ullo modo desimus.

§. 3. Objic. (3.) Si reprobatio pendet è prævisis malis operibus, sequitur, quod Electio dependeat ex præviso operum bonorum merito. Verum est Antecedens. E. & Consequens. Resp. N. C. non enim utrobique una est ratio. Nam (α) in Electione fundamentum est extra nos, & in Deo, ejusque sola gratia. In reprobatione vero fundamentum est in nobis, nempe peccata nostra, quæ ideo, quia in nobis sunt, damnationem merentur, hinc etiam peccati stipendium mors dicitur, donum autem Dei vita æterna. Rom. 6. (β) Opera nostra bona sunt imperfectè bona, multisque carnis infirmitatibus contaminata, opera verò mala sunt perfectè & in summo gradu mala, adeoque perfectè damnationis meritoria.

§. 4. Objic. (4.) Hoc ipso quod nos Electionem à solâ fide prævisa dependere statuamus, sequi morum dissolutionem, ita ut homines, si se propter opera non esse Electos cognoscant, sibi liberum esse putent, num B. O. faciant, nec ne. Hinc Michael ab Isselt in epistola Dedicat. in Ludov. Granat. Duc. Pecc. impudentissimè scribere non dubitat, de nostra doctrina: quæ vitæ sanctimonia à Lutheranis est expectanda, qui opera bona meritis spoliant, & peccata nominare non erubescunt? qui tanquam novi Epicuræi & Athei corporis voluptates, atque libidines sectantur, ornandis virtute animabus nullam dant operam, speciali sua fide, quâ se electos jactitant, fenestram ad omnem impietatem aperientes. Sed quanta & impudentissima hæc sit calumnia judicent cordatiores. Si B. O. toties inculcare, eaque in homine justificato tan-

quam testimonium de justificatione, necessaria statuere, est fenestram aperire impietati, concedo, quod dicit Pontificius, sed quis hoc unquam affirmavit. Sed attendant Pontificii, qualis sit consequentia: non sumus electi propter praevisa opera, E. nulla sunt facienda? quis sanæ mentis composita colligeret: quodcumque non est ad hoc vel illud necessarium, illud plane necessarium non est: Oculus non est necessarius ad auditum, E. Oculus plane non est necessarius, absolum! Inverto ego potius argumentum, quod est Pontificia hypothesis, de operum merito, Epicuræismus & carnalis securitas in homines derivetur. Si enim homines ob opera electos se esse intelligunt, Electionem autem Dei immutabilem esse sciunt, operibus bonis nequaquam studendum existimabunt. Posito autem, nonnullos è nostra etiam sententia securitatem concipere, & opera bona libera statuere, illud fit per accidens, estque vana persuasio hominis impii, adeoque non doctrinæ nostræ, sed hominum perversitati hoc est adscribendum.

§. 5. Vitam æternam ipsamque actualem ejus consecutionem nos operibus obtinere posse, Pontificii probare satagunt (1) ex eo, quod vita æterna appellatur merces, hinc ita argumentantur: Quicquid est merces, illud meretur operibus. Vita æterna est merces E. meretur operibus. Minorem probant (α) ex Matth. 20. v. 8. ubi operariis reddi jubetur merces, denarius nempe, per quem Pontificii intelligunt vitam æternam (β) ex locis Jer. 31. v. 16. Matth. 5. p. 7. c. 10. v. 42. c. 19. v. 29. 1. Cor. 3. v. 8. 14. c. 9. v. 17. 2. Joh. 2. v. 8. Apoc. 11. v. 18. c. 22. v. 12. Resp. I. Distingue inter mercedem strictè & late sumptam; hæc non dependet à merito operum, sed à benignitate conferentis; illa verò meritum verè & strictè sic dictum præsupponit: quæ distinctio fundatur Rom. 4. v. 4. Jam si Major in argumento allato loquatur, de mercede late sumptâ, eandem nego; merces enim h. s. opponitur inani & frustraneo, estque nihil aliud, quam gratuitum officii vel laboris alias debiti præmium. Si verò loquatur de mercede strictè sumptâ, concessa Majore, nego Minorem. Quando enim B. O. promittitur merces, non intelligenda est merces debita, sed gratuita, quod probo (1.) ex Luc. 6. p. 32. ubi μισθός, seu merces, de qua Matth. 6. p. 1. vocatur gratia; sic Psal. 127. fructus ventris vocatur כֶּסֶף merces, qui tamen est donum gratuitum. (2.) ex Matt. 20. Ubi illis, qui unam tantum horam laboraverant, ac diurnum denarium non promeriti fuerant, non minus datur integer denarius, utique

utriqve ex gratia, non autem propter laboris dignitatem. Expresse enim dicit Paterfamilias murmuranti: *εἰ δὲ ὀφθαλμὸς οὐκ ἔστιν ἐν ἐγώ ἀγαθὸς εἰμι*, quod recte vertit Lutherus: Siehest du darumb scheel/ das ich so güttig bin. v. 15. Vocatur autem vita æterna merces (a) ob consecutionem, quia omne bonum, quod in sequitur labores lato sensu nominari solet merces, licet datur ex mera gratia; (b) ob promissionem. Quoniam enim Deus pollicetur in verbo suo, se benè operantibus daturum esse vitam æternam, hinc quasi debitor noster redditur, cum omne promissum cadat in debitum, unde fit, ut & ipsi salutis mercedis nomen ob pollicitationem imponatur. Vid. B. Meisnerus P. II. Phil. Sobr. S. I. c. 1. p. m. 393. III. etiam concedere possem, vitam æternam esse propriè dictam mercedem, respectu meriti Christi. Christus enim vitam æternam, pretiosissima, acerbissimaq; morte sua acquisivit & meruit, non sibi, sed nobis. Nihilominus nostriratione, vita æterna est & manet *χάρισμα* Dei.

§. 6. Alteram objectionem desumunt ex eò, quod vita æterna corona justitiæ appellatur, h. m. Quodcumq; est corona justitiæ, illud datur propter operum meritum. Vita æterna est corona justitiæ E. Vita æterna datur propter operum nostrorum meritum. Minor constat ex 2. Tim. 4. v. 8. Resp. Justitia est duplex, legalis & Evangelica; illa provenit ex operibus, & consistit in perfectissima legis impletione, per quam aliquis formaliter justus constituitur, & illa ipsi inhæret; sed talis justitia non datur in homine Renato, cum etiam Renati sæpissimè contra legem divinam, se etiam non cogitantibus, agant, & ita in uno & altero delinquentes præcepto, rei fiant omnium. Evangelica vero justitia est illa Christi justitia, obedientia ejus, tum activa, tum passiva acquisita, quæ per fidem nobis imputatur & hinc justitia dicitur imputata. Jam quando Paulus vitam æternam vocat coronam justitiæ, non intelligit justitiam legalem, seu inhæsitivam, illa enim non promittit vitam æternam, nisi sub conditione perfectissimæ impletionis, quæ Renatis quoque hac in vita est impossibilis, adeoq; per eam non possunt adipisci vitam æternam, sed intelligit justitiam Christi per fidem imputatam, quæ acquisivit nobis vitam æternam, quæ post perpeffas ærumnas coronamur. Sed dicent forsàn Pontificii; Paulum ante enumerasse B. sua O. & posthæc dicere, hinc sibi justitiæ coronam repositam esse, quæ certè de legali justitia sint intelligenda. Resp. Paulus non recitat causam, propter quam reposita sibi sit justitiæ corona, sed tantum ordinem & modum, quem Deus cum se servavit, quod scilicet prius multa perpeti debuerit, antequam promissam coronam sit adeptus. Hinc se comparat, cum iis, qui pugnant & in stadio currunt, ideò ut prædam, & brabæum propositum, obtineant. Itaq; dicit, & se tanquam bonum Jesu Christi bellatorem cum hostibus spiritualibus, in stadio veræ fidei, veræq; pietatis, quæ fidem suam aliis probavit, cucurrisse, nunc igitur sibi nihil amplius esse reliquum, quam ut per beatam *ἀνάλυσιν* comprehendat brabæum æternum.

§. 7. Progrediuntur Pontificii (4.) argumentando: Quibus vita æterna in mercedem est repromissa, ea sunt vitæ æternæ meritoria. Atqui operibus vita æterna &c. E. Minorem probant ex Joh. c. 5. qui bona egerunt ibunt in resurrectionem vitæ, Matth. 7. qui fecerit voluntatem Patris mei, &c. ipse intrabit in regnum cælo-
rum

rum, Rom. 2. Reddet unicuique secundum opera, his, qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem querentibus vitam æternam, Luc. 14. Dum facis convivium voca pauperes & habebis thesaurum in cœlo. Resp. Negando Minorem. Probationem quod attinet, ea non stat firmo talo, cum allegata dicta potius contraria sint sententiæ Pontificiorum, quam ut ei patrocinium præbeant. Primum enim dictum, quod attinet, illud saltem agit de B. O. quatenus sunt testimonium fidei, sive de fide tanquam fundamento suo testimonium perhibent. Ad alterum locum respondeo, distinguendo, inter voluntatem Dei legalem, quâ ut justus & severus Judex exactissimam suæ legis impletionem exigit, & Evangelicam, quâ vult, ut Jesum Christum filium suum, quem nobis proposuit propitiatorium pro peccatis nostris, per sanguinem, verâ fide agnoscamus, ejus justitiam merito ejus partam apprehendamus, nobis applicemus, & ita vitam æternam ingrediamur. De hac voluntate Patris sui dicit Christus, Joh. 6. v. 40. Hæc est voluntas ejus qui misit me, ut omnis qui videt filium & credit in eum; habeat vitam æternam. Christus itaque in allegato loco Matth. agit de voluntate Dei Patris Evangelica, quod manifeste docet contextus: antea enim Christus dixerat, quod externa confessio, & Domini appellatio non sufficiat ad salutem, sed eam demum veram ingreundi ad vitam æternam esse rationem, si faciamus voluntatem Patris, h. e. in ipsum credamus, & in ejus cognitione & fiduciali apprehensione salvemur: Tertius locus agit de bonis spiritualibus in vita æterna, seu de gloria graduali, in qua (jam sæpius diximus) operum aliquis erit respectus. Sed profecto longe aliud est, retribuere aliquid secundum opera, & aliud per ac propter opera: Illud denotat saltem testimonium B. O. prout ea demonstraverint hominem vel fidem habuisse, vel eadem fuisse destitutum & juxta hoc testimonium Paulus l. c. pronuntiaturum esse Deum asserit. Quartum & quintum locum quod concernit, illa quæ agunt de fidei testimonio, sive in iis ducitur argumentum ab effectu ad causam. Particula siquidem ὅτι (ut supra monuimus) non semper sumitur αἰτιολογικῶς, s. causaliter, sed quandoque etiam συλλογικῶς, s. illative, ut rationem importet illationis & cognitionis, non à causa, sed vel ab effectu, vel ab adjuncto, vel à signo petitam. Et in hoc posteriori sensu etiam in alleg. loc. sumitur, cum quibus jungatur locus, Matth. 25. v. 35.

§. 8. Nihil ad rem quoque faciunt reliqua Scripturæ loca à Pontificiis allata, inter quæ primarium locum obtinet ille, 2. Cor. 4. ubi tribulatio nostra levis dicitur *κατεργάζεσθαι*, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus. Sed parata est responsio, vocabulum *κατεργάζεσθαι*, quo Paulus l. c. utitur non notat meritum æternæ vitæ, sed denotat ordinem, quem Deus constituit hominibus salvandis, ut prius glorificentur per crucem, & cum Paulo bonum certamen, in tot calamitatum & afflictionum generibus certent, antequam ad cœlestia evchantur.

Μάνη τῷ Θεῷ τῷ *ἰωάννη* Δοξῆ

05 A 403


ULB Halle 3
004 208 587



VD17 ad







B.I.G.

Black, 3/Color, White, Magenta, Red, Yellow, Green, Cyan, Blue

Farbkarte #13

כוה נ
 M B, O. NON-MERENS,
 h. e.
 EPSIS THEOLOGICA,
 De
ITO B. O. A
FICIIS JACTATO,
Quam
 amine clementer annuente, indultu,
 iosissima *Facultatis Theologica,*
 In
 llustri ad Albim Academia,
 SUB PRÆSIDIO
 VIRI
rendi, Magnifici, Amplissimi,
Excellentissimique
DEUTSCHMANNI,
 Professoris Theologi, quaqu
 bratissimi, Alumnorum Eloquentialium
 Ephori Gravissimi,
oris, Patroni ac Mœcenatis sui
observantia cultu devenerandi,
 ar. A. O. R. MDCLXXXVI. defendendam sistet
AUTOR - RESPONDENS
REINESIUS, Magd. Saxo.
ERGÆ, Literis SCHULTZIANIS,

